

1-1-1668

## Constitutions Latin: 1668 to 1931

---

### Recommended Citation

"Constitutions Latin: 1668 to 1931" (1668). *Constitutions and Rules*. Paper 22.  
[http://via.library.depaul.edu/cm\\_construles/22](http://via.library.depaul.edu/cm_construles/22)

This Article is brought to you for free and open access by the Official Documents at Via Sapientiae. It has been accepted for inclusion in *Constitutions and Rules* by an authorized administrator of Via Sapientiae. For more information, please contact [mbernal2@depaul.edu](mailto:mbernal2@depaul.edu).

[p. 1]

**Constitutiones  
quæ Superiorem Generalem  
totiusque Congregationis Missionis  
gubernationem spectant.  
[1668]<sup>1</sup>**

**Caput I.**

**De qualitate, potestate ac officio  
Superioris Generalis.**

§. I

Cùm Superior Generalis personam Iesu-Christi toti Congregationi repræsentet, debet esse tùm eximiis donis supernaturalibus, tùm egregiis naturæ dotibus ornatus. Ideò requiritur: 1° Ut sit quantum humana fragilitas patitur, ab omni affectu inordinato immunis; 2° In suis orationibus et actionibus maximè unitur cum ipso Iesu-Christo, ut possit indè lumen et gratiam tam suæ ipsius directione, quàm pro universa Congregationis regimine percipere; 3° Omni virtutum genere præsertim humilitate et charitate præditur;

[p. 2]

4° Sciat conjungere rectitudinem et severitatem cum mansuetudine et benignitate; 5° Animi vigilantiam, robore et firmitate polleat, ut propter amorem Dei et salutem proximi, quoties sese obtulerit occasio, possit molesta patienter tolerare, magna genere aggredi, incæpta sollicitè persequi; difficilia constanter sustinere, ac etiam Magnatum contradictiones vel minas non timere; licèt ob id in vitæ suæ discrimen venire oporteret; 6° Intellectu defæcato, iudicio solido, scientiâ non mediocri, sed majori prudentiâ atque discretionem sit dotatus; 7° Rerum Congregationis notitiam et experientiam sufficientem acquisierit; 8° Habeat corpus sanum et bene compositum; 9° Non solum à nostris, verùm etiàm ab externis optimè audiat; 10° **Requiritur ut (Superior Generalis) Deniquè sit unus è ex sacerdotibus qui saltem duodecim annis completis post emissa vota in Congregatione vixerint vixerit; quæ ultima conditio necessaria est ad electionis validitatem, præter eas quæ Can. 504 exprimuntur.**

---

<sup>1</sup> Source: *Collectio Bullarum, Constitutionum ac Decretorum quæ Congregationis Administrationem spectant. Die 2 Feb. Anno Domini 1847. [No place, no publisher, since they are lithographed from manuscript pages] 263 numbered pages; called "Magnæ Constitutiones." Materials in red are taken from minutes of general assembly of 1931.*

## §. II.

Ad bonum regimen totius Congregationis permagni interest ut Superior Generalis sit in suo officio perpetuum, et omnimodam Superioritatem habeat in totam Congregationem, non quidem in Conventum generalem, quippè qui ipso Superiore Generali Superior est, sed in singulas Domos, res et personas Congregationis; idcirco perpetuus erit, præfatamque Superioritatem et auctoritatem exercebit, cum limitationibus tamen et conditionibus quæ in hoc et sequenti capite habentur.

1° Per se vel per alios, (**Superior Generalis**) in quibuslibet Congregationis Domibus eos admittere poterit, quos ipse idoneos æstimaverit, **habita ratione can. 542**; et non idoneos

[p. 3]

sed indignos etiàm post vota emissa cùm ita expedire sibi in Domino visum fuerit, habita ratione **boni** communis ~~boni~~, dimittere et à Congregatione amovere; si retineri **non posse** sine magno illius (**Congregationis**) damno ~~vel divini obsequii et detrimento non posse~~ tam ipse quàm ejus assistentes ad plura suffragia judicaverint, ità tamen ut ipse unicum quidem suffragium habeat, sed prærogativam in paritate, **si agatur de dimissione improprie dicta seu de dispensatione in votis. Indignorum vero ejectione e Congregatione minime aliter fieri poterit quam adamussim servato ordine cann. 646-672 præscripto.** 2° Ad eum pertinebit omnium Congregationis Domorum, personarum ac officialium gubernatio, ipsorumque, exceptis suis assistentibus et suo pariter admonitore, institutio ac destitutio; necnon jus eos obligandi ad rationem de sua administratione reddendam. 3° **Superior Generalis** utetur facultatibus ~~Congregationi~~ à Sede apostolica concessis; et talem partem illarum suis subditis dabit, revocabit, ~~aut~~ **et** imminuet, qualem expedire censuerit, **servato semper can. 502 qui dicit : « Supremus religionis moderator potestatem in omnes Provincias et domos, sodales religionis, exercendam secundum Constitutiones ; ali Superiores ea gaudent intra fines sui muneris.**

## §. III.

Illius pariter erit, 1° per se vel per alios inire contractus ~~quoslibet~~ **quaelibet** venditionis, emptionis et permutationis, necnon accipiendi pecunias cum pacto redditum annuum solvendi ac facultate ipsum redimendi ; in rebus tamen maximi momenti de consensu suorum assistentium, nimirum ad plura suffragia cum sua ipsius prærogativa in paritate, **nisi suffragia secreta requisita fuerint, servandis alias de jure servandis, speciatimque cann. 532-537.** ~~ut supra.~~ Quoad alienationem verò, aut abolitionem domorum, id facere non poterit, nisi de consensu Conventûs generalis, servatis **tamen** de jure servandis, **nimirum pro suppressione domus, can. 498 et pro alienatione Can. 534.** Quòd si dissolvendi aliquam

[p. 4]

Domum necessitas planè cogat, ità ut non possit neque ad Conventum Generalem differri ; tunc re decernetur judicio ipsius Superioris Generalis eum approbatione assistentium, visitorum qui sunt in [Vide Notam Cap. XII, §. 2.] Europâ, secretarii Congregationis et Procuratoris similiter Congregationis aut saltem majoris partis ipsorum.

2° Cuilibet domorum bona, quæ Congregationi, non verò quæ tali domui data fuerint, adungere et attribuere poterit. 3° **Ipsius erit novas domos admittere et erigere, ad normam can. 497, et de consensu sui Consilii, consulto prius Visitatore Provinciae cum ejus Consilio. Si graves rationes suadent alicujus novae Provinciae electionem, vel existentis divisionem in duas provincias, vel labentis suppressionem seu conjunctionem cum alia provincia, eam Sanctae Sedi proponet ad mentem Can. 494, de consensu Conventus generalis vel sexennalis, vel extra tempus conventus, Superior Generalis de consensu Consilii sui et Visitorum respectivorum. Si vero de restrictione ageretur Provinciae per vim extinctae, sed adhuc existentiam juris retinentis, ad mentem Can. 102, n. 1 et 2, omissis formis in eo casu minime requisitis, ipse Superior Generalis providebit de consensu sui consilii, restituendi illi provinciae existentium facti, eique instituendo Visitorum. Admittere de consensu ordinarii fundationes et domos ; non poterit tamen transferre domum jam fundatam, neque illam deserere, nisi de consensu Conventus generalis, vel in casu urgentis necessitatis cum praefatâ approbatione assistentium et visitorum. Quod si fundationem aliquam fini Congregationis nocivam admitteret, conventus Gen.<sup>lis</sup> rem ad deliberationem vocabit, an sub illis conditionibus nocivis illam possit retinere.** 4° Admittere poterit, sed rarissimè et solùm propter gravissimas causas consultisque suis assistentibus, eos qui voluerint tanquàm convictores, in aliqua ex nostris domibus, etiam in quibus non sunt seminaria externa, morari per aliquod tempus notabile, imò reliquum vitæ tempus ibidem transigere, sub quibuscumque conditionibus, quas tamen possit revocare, si illas fore Congregationi damnosas experimento comperiret, ipsis damna resarciendo juxta quod æquum visum fuerit.

[p. 5]

#### §. IV.

Quoniam autem totam Congregationem per se ipsum gubernare non potest: 1° Utetur officialibus ad id prudenter à se constitutis, nimirum visitoribus ad provincias visitandas, superioribus particularibus seu localibus ad domos Congregationis dirigendæ, ac etiam secretario et procuratore Congregationis, aliisque officialibus subordinatis, ad bonam totius Congregationis gubernationem necessariis. 2° Poterit, cùm opus fuerit, uti operâ commissariorum, qui tamen non erunt officiales ordinarii; ideòque, mortuo Generali, expirabit eorum potestas: secùs de potestate officialium ordinariorum. Commissarii tantam facultatem habebunt quantam requiri censuerit generalis, illiusque erit eorum acta approbare vel rescindere; [*Sel. Const. N. 3*] 3° Visitatores ac domorum superiores instituet pro tempore quod ipse expedire judicaverit; **servato tamen pro Superioribus localibus can. 505, qui sic se habet: “Superiores minores, locales ne constituentur ad tempus ultra triennium quo exacto possunt ad idem munus iterum assumi, si Constitutiones ita ferant, sed non tertio immediate in eadem religiosa domo.”** 4° Singuli illorum officialium talem facultatem communicabit qualem magis convenire existimaverit. 5° Si visitoribus dederit facultatem instituendi superiores locales, illius erit eas confirmare aut destituere.

#### §. V.

Illius quoque erit: 1° Officia et ministeria suis subditis, sive Domi sive in missionibus exercenda distribuere illosque indè revocare, quandò ità opus esse sibi visum fuerit;

[p. 6]

2° Ipsos corrigere illisque tales imponere pænitentias, quales pro cujusque defectibus injungere in Domino judicaverit. 3° Poterit jubere in virtute Sanctæ obedientiæ singulis missionariis quoad ea quæ ad eorum perfectionem et proximi Salutem juxta Institutum spectant. 4° Sicut illius erit curare ut omnes Regulæ ab omnibus observentur, ità, si quis circa aliquod Congregationis exercitium aut observationem alicujus Regulæ dispensatione opus haberet, illius erit hac in re, maturè omnibus circumstantiis in conspectu Domini consideratis, dispensare per se, vel in urgente necessitate per alium, pro tempore quo magis expedire et id esse juxtà mentem nostrarum Regularum coram Deo crediderit. 5° Penes illum erit facultas Conventum Generalem in rebus quammaximi momenti convocandi, injungendi Visitoribus ut suas Provincias convocent, dirigendi ipsum Conventum Generalem, et Congregatos dimittendi cum consensu tamen ipsius Conventus.

## § VI.

Ut Superior Generalis possit facilius ac fructuosius suo fungi officio, hæc inter alia potissimum curabit observare: 1° Ea omnia quæ pertinent ad Generalatus officium atque potestatem per se ipsum exercere debet, per alios verò ea tantum quæ præstare per seipsum non valebit. 2° Nitetur efficere ut plenam cognitionem habeat

[p. 7]

suorum subditorum, eorum præcipuè quos ad officia aut Superioritates promovere intendet. 3° Maxima erit illi cura eligendi officiales idoneos, et sæpè cum illis per litteras communicandi de ipsorum administratione, scribendo ad Visitatores secundo aut saltem tertio quoque mense, et ad Superiores locales, necnon Directores Seminariorum internorum sexto quoque mense, nisi aliqua necessitas exigat ut sæpiùs ad hos vel illos scribat, præsertim ad respondendum eorum litteris. **Procuratorem Generalem instituet, qui ad normam can. 517 negotia Congregationis apud Sanctam Sedem pertractet.** 4° Speciale Studium ponet in officialibus admonendis, instruendis et corrigendis, similiter in efficiendo ut Visitatores ac Superiores locales idem ergà suos officiales observent. 5° Ut totius Congregationis gubernationi impensiùs et perfectiùs vacare queat, nullius domûs particularis nisi illius in qua residebit, administrationi ullo modo vacabit, et nullo operi externo, etiàm pio, quod nec ad suum officium, neque ad Institutum nostrum pertineat, per se incumbet, nisi aliquandò major Dei gloria urgensque proximi necessitas ab ejus persona id exigant. 6° Strictè observari faciet à suis subditis Regulam de beneficiis non ambiendis, et nemini unquam Nostrorum ipse consensum præbebit ad aliquod beneficium acceptandum, nisi illud multum conferat ad munia Instituti nostri fructuosè obeunda.

[p. 8]

## § VII.

Habebit librum in quo omnes facultates Congregationi à Sede apostolica concessæ conscribantur, et libellum in quo sit earumdem facultatum compendium: alium librum in quo sint acta Conventuum Generalium: alium in quo scribantur ordinationes Superiorum Generalium: alium quo contineat responsiones ad dubia circa Regulæ communes Congregationis, istas Constitutiones Regulas officialium et Decreta Conventuum Generalium; alium in quo scriptus sit catalogus Provinciarum et Domorum singularum Provinciarum, notatis cujusque redditibus; alium in quo scripta sint nomina omnium Missionariorum qui à principio Congregationis fuerunt post finitam probationem recepti, designatis loco, Provinciâ, die, mense et anno nativitatis, necnon receptionis in Seminario, ac emissionis votorum et in cujus præsentia emiserunt vota; alium qui contineat nomina omnium Missionariorum sive sacerdotum, sive clericorum, sive fratrum laicorum qui in Congreg. ne vivunt, alphabetico ordine distincta cum conditionibus et qualitate ingenii et capacitatis cujusque circa munia obeunda; alium in quo notentur omnes qui è Congregatione dimissi fuerunt, vel discesserunt; alium denique in quo describantur omnes qui in Congregatione obierunt, indicatis loco, Provinciâ, die, mense et anno obitûs.

[p. 9]

## Caput II.

### De cura, auctoritate et potestate Congregationis ergà Superiorem Generalem.

#### § I.

Sicut Superior Generalis est habere curam universæ Congregationis, atque etiâ penès illum est potestas in totam Congregationem, itâ ad ipsum in gubernatione meliùs juvandum, ipsiusque potestatem temperandam, Congregatis ex parte suâ curam auctoritatem et potestatem ergà eum exercebit, juxta sequentem procedendi rationem, et quidem : 1° Quoad exteriora, scilicet, vicum, vestitum et alias impensas, quæ omnia Congregatio augere vel minuere poterit, prout id coram Deo expedire censebit. 2° Quoad ejus corpus curando ut neque labore, neque mortificationis rigore excedat. 3° Quoad ejus animam, procurando ut notabiles defectus tum propriæ perfectionis, tum bono Congregationis regimini contrarias evitet. 4° Quoad dignitates ecclesiasticas quas acceptare

[p. 10]

non poterit absque consensu Conventûs Generalis. 5° Quoad juvamen in regimine totius Congregationis si in rebus non parvi momenti itâ languidus et negligens, vel etiam inutilis ad gubernationem Congregationis evaderet, ut damnum notabile Congregationis inferret ; in quo casu Congregatio daret illi Vicarium Generalem, ut dicetur infra. 6° Quoad depositionem, si videlicet gravissimum aliquod peccatum externum committeret, præsertim si in peccatum luxuriæ per copulam carnalem laberetur ; aut si quem occideret, vel graviter vulneraret, aut si bona alicujus Domûs sibi ut propria attribueret, vel

dissiparet, vel donaret, aut si doctrinam pravam haberet, qui casus sperantur nunquam eventuri in his casibus, si res fuerit sufficienter testata, Congregatio illum deponet, quin etiam, si res postularet, extra se dimittet, ut inferius dicitur.

## §. II

*[Sel. Const. Num. 2]*

Quod attinet ad modum peculiarem quo procedetur in iis quæ ad Superiorem Generalem in præfatis sex rebus seu casibus spectant, Congregationis erit coram Deo inspicere quomodo in hac re agere oporteat, et efficere ut universale bonum in his omnibus attendatur ; quod hâc ratione præstabit : Conventus Generalis dabit Superiori Generali assistentes quatuor,

[p. 11]

Congregationis ac boni communis amatores, et maximè fideles, ac prudentes, cum quibus ipse de rebus gravioribus tractabit, facultate tamen statuendi apud ipsum remanente, exceptis casibus alibi expressis. Ipsi assistentes in eadem qua ipse Generalis Domo residedebunt illumque in omnibus ad doctrinam et praxim pertinentibus juvabunt. Similiter designabit illi Admonitorem qui cum maxima cum humilitate, et charitate ac prudentiâ de rebus non levis momenti tum ad personam, tum ad officium Superioris Generalis spectantibus, factâ priùs per horam oratione, commonefaciat. Quoad victum autem, vestitum et sumptus, necnon curam corporis ipsius Generalis, assistentium erit in illis providere. Quoad animam verò, erit præsertim Admonitoris. Porrò assistentium sicut et præfati admonitoris electio per scrutinia secreta ad plura medietate suffragia ab ipsismet fiet qui ipsum generalem elegerint, eo tempore et modo quo infra dicitur, capite nono de electione assistentium et admonitoris. Eorum officium usque ad novi Generalis electionem durabit. Quod si unus ex iis moriatur, aut Generalis ipsum foras, ob gravissimam causam vel necessitatem et non ad tempus breve mittat, ipse in locum defuncti, vel absentis substituet alium, qui quidem ad hoc officium admittetur de consensu assistentium et Visitorum qui sunt in Europâ, scilicet ad ipsorum plura medietate suffragia ; ideòque ad Visitatores scribet aliquam

[p. 12]

nimirum de illo informationem mittens quibus minimè aut parum cognitus esset. Substitutus autem in locum absentis officium exercebit usque ad ipsius reditum. Subrogatus verò in defuncti officium illo fugetur usque ad novam electionem faciendam in primo conventu generali futuro, aut in proximo conventu deputatorum à provinciis. Hi enim jus habent eligendi sive assistentem, sive admonitorem, quovis modo vacet hujusmodi officium, nisi in eodem Conventu deliberatum fuerit conventum generalem cogendum esse. Sed quandocumque illa electio fiat, eligi poterit vel idem ille antea suffectus, vel quivis alius dotibus ad id munus obeundum necessariis instructus. Quòd si per aliquod tempus iter faceret superior generalis, unum saltem ex suis assistentibus socium habebit.

### §. III.

Quod spectat ad reliquos casus suprà, nimirum paragrapho primo memoratos, procedendum erit, ut habetur inferius, in primis autem si de aliquâ dignitate ecclesiasticâ ageretur, ne quidem ad quæstionem res adducenda erit ; Congregatio enim non debet dare consensum Superiori Generali ad hujusmodi dignitates, nec illas superior generalis acceptare, nisi summus Pontifex id in virtute sanctæ obedientiæ ipsi Generali

[p. 13]

jusserit ; quod certè tanquàm aliquid maximi momenti semper tenendum et observandum est à Congregatione.

### §. IV

Si verò Superior Generalis, propter notabilem languorem vel negligentiam in rebus magni momenti ad suum officium spectantibus, aut propter gravem ac diuturnam agritudinem, aut senii caducitatem, inutilis factus esset ad directionem et gubernationem Congregationis, ità ut in posterum rebus sui officii sufficienter vacare posse non speraretur, atque indè magnum detrimentum Congregatio pateretur ; assistentes, postquàm id maturè ac pluries coràm Deo consideraverint, et inter se agitaverint, ac tandem ad pluralitatem suffragiorum judicaverint substituendum esse Vicarium Superiori Generali, ipsum cum debita modestia et reverentia monebunt atque cum humilitate cogabunt ut eligat et substituatur sibi vicarium generalem a visitoribus, aut saltem à majori parte ipsorum per transmissæ litteræ approbandum.

### §. V.

Porrò, si ipse superior generalis admonitus et rogatus nollet eligere, ac sibi substituere vicarium, aut si esset in eo statu caducitatis vel infirmitatis

[p. 14]

ut non posset vicarium eligere, in hoc casu ipsi assistentes monebunt visitatores unius cujusque [Vide Notam Cap. XII. §. 2] provinciæ in Europâ de statu superioris generalis ut conventum provincialem convocent, et in eo eligant pluralitate suffragiorum secretorum aliquem deputatum qui ad superiorem generalem veniat : ità ut in hac occasione visitatorem æque ac alium quemlibet ad id idoneum eligere liceat ; quamvis eo anno ferenda esset sententia provinciæ de cogendo vel non cogendo conventu generali ; nonobstante etiàm exclusione quæ infrà continetur paragrapho quinto capitis decimi. Cùm autem hoc negotium fieri debeat non solum magna cum notitia status ipsius superioris generalis, sed etiàm per suffragia secreta, deputatus proficiscens à sua Provincia, et veniens ad domum generalis, rem, quantum fieri poterit, secretam tenens, acta suæ deputationis, subscripta à secretario conventûs, et sigillo provinciæ munita deferet, quorum interventu possit primo quidem cum superioris generalis assistentibus, aliarumque provinciarum deputatis ad plura suffragia secreta judicare an præfatus superior in eo statu reperiatur, ut illi vicarium generalem dare expediat; deindè cum



prænominatis et hunc eligere, et quanta futura sit ejusdem auctoritas pro dicto superioris generalis statu præfinire, necnon, si tunc apud fuerit, ad alicujus assistentis vel admonitoris

[p. 15]

electionem procedere. Hujusmodi assistentium et deputatorum conventui præerit assistentium primus ordine electionis suffragia omnium postquàm numerus fuerit altâ voce legentur à Secretario Congregationis et colligentur, ac inter se conferentur ; quibus peractis, illis declarabitur vicarius generalis qui plura medietate suffragia sortitus fuerit, atque hoc modo electus universæ Congregationis gubernationem cum ea facultate quæ ei communicata fuerit a prænominatis, tanquàm vicarius habeat, uteturque eisdem superioris generalis assistentibus, admonitore, secretario et procuratore congregationis, aliisque officialibus primarius.

#### §. VI.

Quòd si superior generalis laberetur, quod Deus avertat, in peccata prædicta quæ depositionem requirunt, dicti assistentes, qui juramento obstricti sunt ad id Congregationi denuntiandum, re ab ipsis attestatâ aut ipso generali eam fatente ad visitatores qui sunt in Europâ, scribent litterasque subscribent [Vide Notam. cap. XII, §. 2.] quarum tenore rem illis nuntiabunt eosque ad conventum generalem convocabunt, qui quidem tenebuntur, unâ cum duobus sacerdotibus de suâ provinciâ in conventu provinciali ad id electis se recipere, statutâ die, in locum ad id assignatum. Si autem res manifesta

[p. 16]

et divulgata esset, in hoc casu visitatores, sese invicem admonerent et convenirent cum duobus in qualibet provincia more solito electis, etiam non expectatis ad hoc assistentium litteris convocationis.

#### §. VII.

Primo die ingressûs in conventum generalem, cui aderunt assistentes, visitatores et electi à provinciis post invocationem Sancti Spiritûs, accusatio clarè exponetur ab uno ex assistentibus cui res notior fuerit, et statim atque superior generalis fuerit auditus, è conventu exhibit, primusque assistentium, unâ cum visitatore ratione receptionis in Congregatione antiquissimo ac secretario Congregationis, facient scrutinium secretum, cujus prima quæstio hæc erit : Utrùm delictum sit sufficienter attestatum ; 2º Utrùm habeat omnes conditiones ad deponendum dictum generalem requisitas, et altâ voce primus assistens pronuntiabit majorem numerum seu pluralitatem suffragiorum, quæ quidem ut sint valida bis tertiam eorum partem excedere debebunt ; his verò peractis, statim de electione alterius generalis agendum erit, idque juxta formulam quæ infrâ habetur, capite sexto et septimo.

[p. 17]

## §. VIII.

Quòd si delictum non sit de illis quæ depositionem requirunt, conventus quatuor ex ipsis congregatis eliget ad deliberandum quo admonitionis genere erga illum utendum sit ; et reipsà et admonitionem dabunt si autem de admonitionis genere inter se convenire non possint, tunc alium aut tres alios ex ipsis congregatis eligent ad prædictam deliberationem ; quæ electio fiet per secreta suffragia.

## Caput III.

### **De Superioris Generalis schedis nominationem vicarii generalis et electionem superioris generalis in locum demortui, spectantibus**

#### §.I.

Superior Generalis ut nominationi vicarii generalis future, se vitâ defuncto, necnon electioni successoris

[p. 18]

in officio superior generalis melius provideat, quàm primùm poterit post sui electionem, exercitia spiritualia incipiet. Quibus absolutis et missâ celebratâ, in duobus schedis coram Deo scribet, in altera scilicet, nomen illius quem in Domino judicaverit idoneum, se vitâ defuncto, ad officium vicarii obeundum usque ad futuram generalis electionem; In altera autem, nomina duorum qui post obitum suum Conventui Gen<sup>li</sup> proponuntur, ut alteruter, si ei collibuerit, in superioris generalis officio sibi succesurus eligatur, itâ tamen ut eidem Conventui jus remaneat alium, si ei magis libuerit, eligendi, qui magis idoneus ad hoc munus ei visus fuerit. Ambas porrò schedas ut suprâ inscriptas cum designatione diei, mensis et anni, necnon manu propriâ subscriptas, suoque sigillo, videlicet superioris generalis obsignatas, in duobus arculis includet, unamquamque nimirùm in sua arcula, utraque binas ac diversas claves habente, quarum alteram primus assistens custodiet, alteram verò secundus assistens, et ut major cautela huic negotio adhibeatur, alia charta ejusdem Generalis manu conscripta et subscripta, sigilloque eodem in quatuor saltem extremis munita, ad quamlibet arcularum seram [*sic*, = *ceram*] firmiter affigetur; ità ut exterius cujusvis seræ orificium se omnino [*sic*] aperiatur. Utraque prioris arculæ charta continebit hæc verba: Scheda ad nominationem vicarii generalis

[p. 19]

spectans in hac arcula continetur; posterioris verò quæ sequuntur: Scheda ad electionem superioris generalis spectans in hac arcula continetur.

#### §. II.

Ambæ arculæ in archivo Domûs in qua superior generalis solet residere, accuratè asservabuntur in alia arcula majori, cujus clavem habebit superior generalis, donec, ipso mortuo, ambæ arculæ sint auferendæ et recludendæ, altera quidem statim post ipsius obitum ad vicarium scilicet generalem nominandum; altera verò cùm dies novi superioris eligendi advenerit. Ipsi tamen superiori generali licitum erit singulis annis, post exercitia spiritualia, si iis vacare possit vel sæpiùs, se ita expedire in Domino judicaverit, alteram aut utramque ex arculis recludere, si eorum nomina, quos proposuit eligendos, mutare coràm Deo decreverit; quâ mutatione factâ arculisque iterùm obseratis, præfatas inscriptiones in orificio serarum, eo modo quo suprâ, denuò affiget, cæteraque pæstabit quæ de his arculis notata sunt in paragrapho præcedenti.

[p. 20]

### §. III.

Quæ omnia ut faciliùs atque securiùs præstentur, ipse superior generalis, sicut etiàm primus assistens et secundus, suam quisque clavem in locello quodam inclusam et collo appensam semper et ubique gestabit, nisi quandò dictæ arculæ, juxta quod jàm dictum est suprâ, erunt reservanda, vel cùm aliquis ex ipsis in gravem morbum incidit; in quo ultimo casu, si superior generalis ægrotaverit, clavis arculæ majoris antiquissimo ratione ingressûs in Congregationem inter sacerdotes tunc temporis eadem in domo manentes, modò non sit unus ex generalis assistentibus, coram aliis antiquioribus ejusdem domûs à primo assistente vel à secundo, si primus absens fuerit, tradetur custodienda, donec ipse generalis convalescat; tunc enim ei reddenda erit dicta clavis. Quod si vita decesserit idem antiquissimus, aliis antiquioribus congregatis, cùm videlicet tempus arculas aperiendi advenerit, ut infrâ dicitur, statim eam tradet. Quoàd clavem autem primi assistentis, si gravi morbo afficiatur, alteri ex dictis antiquioribus ab ipso generali superiore ad id tunc temporis nominando ac designando, dabitur pariter custodienda; ità ut si convalescat, ei dicta clavis reddatur. Quod si è vita decedat, vel deponatur, vel quocumque alio modo mutetur, tertio assistenti in secundi locum

[p. 21]

suffecto tradetur. Si verò peregrè proficiscatur, clavis eidem tertio assistenti usque ad primi reditum solummodò custodienda dabitur. Idem in similibus casibus, servatà proportione, fiet de clavi secundi assistentis.

### §. IV.

Ubi superior generalis è vivis decesserit, illa clavis majoris arculæ in qua recluduntur duæ minores arculæ continentes schedas duas, nimirum ad vicarii generalis nominationem, necnon ad future superioris electionem spectantes, continuo antiquiori sacerdoti illius domûs in qua obierit, modò non sit ex assistentibus generalis, custodienda, donec tempus advenerit ipsas arculas recludendi, aliis antiquioribus sacerdotibus tunc præsentibus, à primo assistente tradetur, nisi priùs, scilicet tempore ægrotationis dicti superioris generalis jàm tradita fuerit, ut in paragrapho præcedenti fusiùs habetur.

### §. V.

Eodem igitur die obitûs, et quamprimùm fieri poterit, primus assistens superioris generalis convocabit ad pulsum campanæ domesticæ sacerdotes qui tunc domi aderunt, et post recitationem antiphonæ

[p. 22]

Veni Sancte Spiritûs, &, cum versu Emitte Spiritum tuum, &, et oratione Deus qui corda fidelium &... more Congregationis, curabit ut arcula major continens ambas arculas minores coràm aliis assistentibus generalis aliisque sacerdotibus, aut saltem majori eorum parte ab antiquiore inter domesticos sacerdotes, qui clavem hujus majoris arculæ habere debet, aperiat. Eodem tempore primus assistens et secundus aperient arculam in qua continetur scheda nominationis vicarii generalis, et continuò indè extrahetur eadem scheda, deindè ab iisdem ocludetur arcula major continens adhuc arculam minorem in qua includitur scheda ad electionem superioris generalis. Tunc scheda ad nominationem vicarii generalis ab eodem antiquiore palàm explicabitur, omniumque oculis exhibebitur, atque ab unoquoque recognita, illam scilicet esse manu dicti superioris generalis scriptam, altâ voce legetur à secretario Congregationis. Is autem cujus nomen in dicta scheda repertum fuerit, sinè controversia vicarius generalis censebitur, et ut talis ab omnibus admittetur. Quo facto, inchoabitur à vicario, si ibi fuerit, strophe Maria Mater gratiæ, &, cum dox. qui natus es quæ recitabuntur more Congregationis cum versu ora pro nobis & et oratione Concede nos & si verò absens fuerit, eam inchoabit præfatus primus assistens.

[p. 23]

#### §. VI.

Quòd si contingeret illum, qui in scheda præfata nominatus est vicarius generalis è vita decessisse, aut gravi morbi detineri, aliove modo impediri quominùs intra unam aut alteram hebdomadam officio suo, ut par est, vacare possit; de quo morbo aut impedimento assistentes cum sacerdotibus ejus domûs ubi sunt arculæ, modò in Congregatione post vota emissa sexennium exegerint, ad plura suffragia judicabunt; ità tamen ut in ea deliberatione, primus assistens non sit præsens, vel etiam si eveniret superiorem generalem, non nominato vicario, mortuum esse, sive tempore conventûs generalis, sive paulò post dissolutum conventum, ut dicitur capito octavo, paragrapho undecimo et sequentibus, tunc primum assistentem superioris generalis admittere tanquàm vicarium generalem tenebuntur.

#### §. VII.

Si verò accideret, qui casus cum Dei gratiâ speratur nunquàm eventurus, ut electio, vivente ipso superiore generali, esset facienda, quando scilicet ipse ob aliquod delictum aliasve causas in capite præcedenti expressas

[p. 24]

esset officio generalatûs à conventu generali privatus aut ex Congregatione expulsus, tunc illarum duarum schedarum ab ipso generali scriptarum, et in arculis ab ipsomet

inclusarum nulla erit ratio habenda, imò nec legendæ erunt; set statim post ejus dispositionem erunt comburendæ; et quamprimùm de alio generali eligendo tractabitur, atque ad hujusmodi electionem procedetur, idque juxta formulam quæ infra habetur capite sexto et septimo; iis omissis quæ de duabus arculis schedam pro electione superioris generalis continentibus ibi referentur, præsidebitque conventui primus assistens.

[p. 25]

## Caput IV.

### **De officio vicarii generalis in convocatione conventûs generalis ad electionem superioris generalis in locum demortui et in gubernatione universæ Congregationis.**

#### §. I.

Vicarii generalis est conventum generalem ad superioris generalis electionem in locum demortui convocare, eidemque electioni præsidere, et interim universam Congregationem jure et modo in hoc capite quarto contentis, gubernare. Statim atque designatus et recognitus fuerit, accipiet à primo assistentium claves armariorum et scrinii in quibus sunt scripturæ quæ superior generalis apud se conservabat, ex quibus tamen nullam accipere debet ipse vicarius, nisi id exigente necessitate, et ad id vocatis duobus saltem assistentibus necnon secretario Congregationis, atque illas quamprimùm et opportunè iisdem præsentibus reponet.

[p. 26]

#### §. II.

Diligenter et absque mora curabit, ut pro defuncto generali per universam Congregationem sacrificia, communiones et orationes Deo offerantur, nimirùm saltem quatuor missæ à singulis sacerdotibus domûs in quâ mortuus est, et à cæteris ejusdem domûs qui non sunt sacerdotes duæ communiones et totidem rosaria, ab aliis verò Congregationis sacerdotibus saltem duæ Missæ, et à cæteris qui non sunt sacerdotes una communio, et unum rosarium.

#### §. III.

Debet etiàm conventum generalem ad electionem superior generalis, diem locumque, consultis assistentibus, designando convocare quàmprimùm poterit, habitâ scilicet ratione majoris vel minoris dilatationis Congregationis, itã tamen ut non possit excedere spatium quinque vel sex mensium, quocumque modo Congregatio fuerit dilatata, nisi gravis

necessitas, arbitrio ipsius vicarii et assistentium ad plura medietate suffragia, dilationem aliquam exigeret.

[p. 27]

Convocando autem monebit visitatores ut in suis provinciis procurent missæ celebrari, et preces indicant pro felici electionis successu, utque provincialis conventus ad hujusmodi electionem in Europâ cogendi rectè fiant. [Vide Notam Cap. XII, §. 2., p. 117.]

#### §. IV.

In regimine universæ Congregationis ità se geret, ut in ea nihil immutet, neque in Regulis communibus, neque in istis constitutionibus, neque in exercitiis seu functionibus Instituti; neque in Regulis officialium, neque in usibus seu consuetudinibus Congregationis; sed in his omnibus ità debet vices gerere defuncti generalis, ut ipsum quasi vivum in præfatis repræsentet. Ideòque utetur iisdem assistentibus et admonitore generalis demortui, secretario et procuratore Congregationis superioribusque localibus et aliis officialibus qui à generali instituuntur, quos non poterit (**Vicarius generalis**) **Superiores locales** mutare nec aliò mittere, nisi ob ~~aliquam~~ gravissimam **aliquam** causam, **vel cogente Can. 505**, à majori assistentium parte approbatam, de quorum etiàm consensu poterit alios ad plura suffragia substituere in locum prædictorum officialium, præterquàm assistentium et admonitoris, si aliquis ex ipsis moriatur, vel aliquò

[p. 28]

mittatur, urgente necessitate, et consentientibus, ut suprà, assistentibus; imò si forsan ipse erat assistens superioris generalis demortui, vel moriatur aliquis assistentium, poterit alterum, mediante pluralitate præfatà suffragiorum, substituere, non quidem in assistentem sed in consultorem, qui ut talis ad conventum generalem jus non habeat; si verò officium admonitoris vacet, illud ipso facto ad primum assistentem devolvetur. Denique post electionem mittendorum ad conventum sive provincialem sive generalem, nullum ex ipsis poterit mittere eò undè commodè et opportunè ad eundem conventum venire impediatur.

#### §. V.

Non solùm res omnes graves cum assistentibus consultabit, sed etiàm litteræ quæ scribet vel accipiet de aliquo Congregationis negotio tranctantes [*sic*] ostendet omnibus assistentibus; si verò illæ res sint iudicio assistentium gravissimæ aut majoris momenti et possint usque ad superioris generalis electionem differri eas ad ipsum debet remittere;

[p. 29]

quales sunt, admittere novas domorum foundationes; vendere vel alienare bona stabilia Congregationis, aliquæ missiones ad partes infidelium vel etiàm ad partes fidelium multùm remotas aggredi, aliquem qui vota emisit è Congregationis dimittere. Si tamen necessitas accideret, vel gravissimæ causæ urgerent quæ moram pati non viderentur, tunc posset re hujusmodi assistentibus communicatas ac Deo maximè commendatas, ad plura suffragia decernere et exequi **servatis omnibus de jure servandis**.

## Caput V.

### De conventibus provincialibus mittendi causâ ad conventum generalem pro eligendo superiore generali.

#### §. I.

Ad visitatorem vel vice-visitatorem pertinet

[p. 30]

conventum provincialem convocare, diem præscribere, domumque suæ provinciæ ad conveniendum commodiorem designare. Illius pariter est conventum dirigere, eique præsidere, cum jure suffragii activi et prærogativa in suffragiorum non secretorum paritate, secretum quoque, si res tractandæ postulaverint, præcipere, curare etiã ut in eo omnia ordine, modo et formâ debitis et juxta Congregationis statuta seu decreta fiant, atque impedire quominus aliquid contra regulæ et constitutiones Congregationis aut contra Institutum proponatur, et multò minùs deliberetur. Conventus autem provincialis non protrahebur ultrà quàm sit necesse. In remotioribus Europæ provinciis visitatores poterunt, modò sint de morte superioris generalis [Vide Notam. Cap. XII. §. II. Page. 117] quavis viâ certiores facti, convocare, pro commodo provinciæ, conventum provincialem ad electionem mittendorum ad conventum generalem, etiã nondùm de morte ipsius generalis acceptis à vicario generali litteris.

#### §. II.

Conventui provinciali intererunt et jus

[p. 31]

suffragii in eo habebunt visitator, omnes superiores domorum provinciæ, seu eorum loco ipsi qui totum superioritatis officium exercent, necnon procurator provinciæ, imò etiã secretarius et procurator Congregationis in ea provincia in qua tunc fuerint, non tamen vicarius generalis nec assistentes, et prætereà ex singulis domibus unus sacerdos qui post vota emissa sexennium ut minimùm in Congregatione exegerit, pluribus suffragiis secretis electus à sacerdotibus singularum domorum qui dicta vota emiserint; superiores autem antequàm ad conventum proficiscantur debent informationem à sacerdotibus sibi subditis accipere, præsertim ab iis qui in rebus instituti sunt benè versati, et de iis rectè sentiunt; sed præ omnibus consilium capient à suis consultoribus de rebus conventui provinciali proponendis.

#### §. III.

Omnes et singuli prædicti conventui provinciali interesse debebunt, nisi legitimo impedimento detenti fuerint, de quo, sicut etiàm de unius cujusque jure ad ipsum conventum, antequàm, si fieri potest, inchoetur, visitator judicabit; ad plura suffragia cum superioribus et cæteris

[p. 32]

congregatis, ità ut in ea deliberatione non sit præsens is de cujus impedimento vel jure agetur, et teneatur acquiescere si judicatus fuerit impeditus. Si verò ipse visitator ità impeditus esset, ut non posset conventui interesse, tunc designabit aliquem ex primariis superioribus provinciæ qui ejus loco præsit. Similiter si aliquis superior, propter legitimum impedimentum, conventui interesse non posse modo quo suprà, judicatus fuerit, ei licebit aliquem è suis subditis sacerdotibus, idoneum tamen, in suû locum substituere, ità ut hujusmodi substituto libera suffragandi facultas omninò remaneat. Caveat maximè visitator ne aliquem eorum qui in conventu suffragii jus habent, aliquò mittat vel in re aliquà occupet, undè impediatur ad conventum venire.

#### §. IV.

Modus procedendi in conventu provinciali hic erit: pridiè ingressûs in conventum conficietur duplex catalogus; alter erit eorum qui sunt conventum ingressuri, et eo ordine quo in eo sunt sessuri, nimirum superiores set vice-superiores, juxta cujusque in Congregatione receptionem, ad dexteram visitatoris; et cæteri eodem

[p. 33]

ordine servato ad sinistram; alter verò continebit omnes provinciæ sacerdotes, tàm præsentés quàm absentes, qui eligi possunt et mitti ad conventum generalem. Die autem ingressûs in conventum, uterque catalogus affigetur benè manè in loco ad conveniendum destinato. Deinde horâ competenti, ad pulsum campanæ domesticæ, electores vocabuntur, et post recitationem hymni Veni, Creator Spiritus, alternatim cum versu et oratione de Spiritu Sancto, quod etiam observabitur in aliis conventûs provincialis sessionibus, visitator brevem exhortationem ad convocatos per se, vel per alium habebit; in qua exponet: 1° Causam convocationis conventûs, et quanti sit momenti tale negotium. 2° Declarabit ea quæ in conventu agenda sunt, et ad hunc finem leget publicè coram congregatis, aut legi faciet omnes paragraphæ sequentes hujus capituli quinti, nimirum à paragrapho quinto inclusivè, usque ad decimum tertium, ut omnes intelligant quid, et quomodò agendum erit in conventu. 3° Exhibebit media, ad se gerendum in re tanti momenti quietè, sincerè, et ad communi bonum totius Congregationis.

#### §. V.

Post exhortationem, petetur à congregatis an conventus censendus sit legitimus et an sint supplendi defectus, tàm conventuum domesticorum, quàm alii si qui fortè acciderint. Quod ubi ad plura suffragia non secreta deliberatum fuerit, eligitur ad plura etiam suffragia secreta, et cui data sunt nemini unquam declaranda, secretarius qui sedeat juxtà visitatorem et propè mensam ibi eo fine præparatam, ut scilicet cum eò numeret, evolvat, legat, et publicet suffragia statim post electionem comburenda; quæ omnia observari



debent in aliis electionibus. Idem secretarius scribet acta conventûs ac omnia quæ totius conventûs nomine ad conventum generalem mittenda sunt, vel proponenda tam conventui generali, quam superior gen<sup>li</sup>; sed quoniam infirmi qui habent jus in conventu, et manent in eodem domicilio, habendi sunt pro præsentibus, in electione secretarii aliisque electionibus sequentibus, suo suffragio non privabuntur modò tamen possint illud scribere eritque duorum inter congregatos antiquiorum eos adire, ut hæc eorum suffragia excipiant. Postquàm verò secretarius fuerit electus, ipse cum omnium congregatorum antiquissimo illud præstabit, et similiter assistens cum secretario post sui electione.

[p. 35]

#### §. VI.

Electo secretario, procedetur eodem modo ad electionem alicujus ex congregatis in assistentem conventûs; cujus erit observare an rectè, modo scilicet et formâ debitis, omni fiant; an suffragia sine fraude colligantur ac numerentur, actaque fideliter scribantur; et ideò juxtà visitatorem et secretarium sedebit. Visitor unicum habebit suffragium, sed prærogativa in suffragiorum non secretorum paritate, in omnibus quæ vel fient, vel proponentur durante conventu. Post præfatam electionem secretarii, et alterius ex congregatis in assistentem conventûs, assignabitur dies electionis mittendorum, qui tertius erit inclusivè à prima sessione conventûs. Destinatur autem intermedius dies inter primam sessionem et secundam; ut qui sufficientem non habent notitiam aptitudinis eorum qui eligendi et mittendi sunt ad conventum generalem, possint informationem accipere, ab iis nimirum qui sunt de conventu et non ab aliis. Finitâ sessione recitabunt, more Congregationis, Maria Mater gratiæ &.. Idem observabitur in aliis sessionibus.

[p. 36]

#### §. VII.

Quæ verò, informationis causâ, peti secretò debent, sunt res, ex quibus colligi et judicare potest, quidam sint digni qui eligantur et mittantur ad conventum generalem, cujusmodi sunt istæ: an talis vel talis notitiam non mediocrem, et experientiam habeat rerum et functionum quæ sunt Congregationis propriæ; an ardens studium ac verum zelum conservandi, imò et promovendi spiritum Instituti nostri; an Regulæ seu Constitutiones fideliter observet; an sit communis boni amator; et an judicio ad deliberandum, prudentiâque ad agendum polleat. Non licebit tamen petere, an hic vel ille possit, vel debeat eligi, necne; sed in universum, an habeat tales vel tales qualitates, ex quibus qui informationem petit conjiciat aptitudinem eorum qui sunt eligendi et mittendi ad conventum generalem. In capiendis informationibus nullus sive per se, sive per alium, sive directè, sive indirectè, sui vel alterius electionem aut exclusionem [*sic*] procure, nec in quam partem ferratura ullo modo significet; et tam in accipiendi, quam in bandi informationibus, unusquisque maximè caveat ne quicquam sinè aliqua necessitate quærat, aut

[p. 37]

contra simplicitatem et rei veritatem referat; aut charitatem fraternam quivis modo lædat; cujusmodi esset, si quis informationem peteret de personis aliundè satis notis; vel ab iis,

qui forsàn non dabunt sinceram informationem; vel de rebus quæ ad electionem faciendam non pertinent. Si quis etiam informationem obruderet non petenti, aut exaggeraret, aut incerta pro certis referet, aut ab aliis quàm à congregatis peteret informationem; aut alicui deferret res de ipso auditas; vel, quod longè pejus esset, personas indicaret à quibus res hujusmodi audivisset; aut quod secretò servandum est, aliis communicaret; quæ omnia diligentissimè cavenda sunt, et omninò impedienda; ne per ea fiat jactura charitatis christianæ et fraternæ unionis adeò in Congregatione necessaria.

#### §. VIII.

Si quem in aliquo ex præfatis, quod Deus avertat, deliquisse sufficienter constet, non relinquatur impunitus, sed judicio visitoris pro delicti certitudine, et gravitate puniatur; et præcipuè si quis ambitiosè à die indicti conventûs usquè ad electionem mittendorum, ad sui vel alterius electionem vel exclusionem, directè vel indirectè, per se vel per alium,

[p. 38]

egerit, deferretur ad visitorum qui cum tribus aliis ex congregatis, ratione ingressûs in Congregationem antiquissimis, de ea re cognocet [*sic*] et judicabit; ità tamen ut accusatus ex his quatuor judicibus etiam ad tres usque, si eos habuerit suspectos, recusare possit, nec hujusmodi recusationis causæ proferre teneatur. Quod si ex illis quatuor pauciores tribus rejiciat, tot alios recusare poterit ex iis qui à conventu ad plura suffragia secreta in locum priorum substituti fuerint, quos ad complendum istum ternarium numerum desiderantur; suffragiorum verò ferendorum jus priores illi ejurati non habebunt. Postquàm autem auditus fuerit tunc non licebit et ampliùs se coram conventu purgare; ambitu igitur probato, et re judicatâ, reus privetur tam activo quàm passivo suffragio in hoc conventu. Si sit unus ex congregatis, atque etiam alias pænas, pro ambitûs gravitate et probationis certitudine, subeat. Si autem reus de iis non sit qui suffragium habent in conventu, quo privati possit, aliis pænis pro culpæ qualitate subjacebit. Si verò ipse visitor de ambitu pro alio notetur, accusator directè adibit aliquem ex dictis tribus antiquioribus, ac ipsi referet circumstantias ambitûs; tunc ipse antiquior rem duobus aliis antiquioribus, et tertio etiam antiquiori ad id vocato,

[p. 39]

communicabit, atque cum ipsis maturè discutiet, et si ipsi quatuor antiquiores, vel, illis ut suprâ recusatis, alii judices à conventu electi ad plura suffragia judicaverint visitatorem esse hujusmodi culpæ reum, et evidenti testimonio convictum tunc declarabunt ipsum privatum esse suffragio activo in conventu provinciali; et ideò ei non posse interesse, ac multò minùs præesse; ipsiusque loco præsidebit conventui superior vocatio antiquissimus.

#### §. IX.

Elapso die ad informationes capiendas assignato, procedetur ad electionem mittendorum ad conventum generalem modo sequenti: Valdè manè singuli congregatorum missam

celebrabunt pro felici electionis successu; deindè ad pulsum campanæ in locum conventûs convenient, et ibi invocato Spiritu Sancto, factaque ante imaginem crucifixi brevi oratione mentali, eligentur ad plura suffragia secreta, et cui data sunt, nemini unquam declaranda, duo sacerdotes ejusdem provinciæ, ex iis qui post vota emissa sexennium, ut minimùm, in Congregatione exegerint, mittendi cum visitatore ad conventum generalem. Verùm

[p. 40]

quia alteruter, vel uterque electus, vel etiam ipse visitator, post dissolutum conventum provincialem, potest aliquo gravi morbo, vel aliquo alio impedimento detineri, quominùs possit se conferre ad conventum generalem, eligentur eodem modo duo alii sacerdotes qui eodem ordine quo electi fuerint, substituuntur, in casu necessitatis, in locum eorum, qui legitime impediti proficisci non possent.

#### §. X.

Quod si accidat in faciendo scrutinio pro electione mittendorum, et unus habeat plura suffragia quàm cæteri, aut duo vel plures sint pares in suffragiis; in primo casu, ille unus statim declarabitur electus; in secundo casu, tentandum erit secundum scrutinium, sed tantùm inter illas præfatas pares. Si autem in secundo scrutinio unus sortiatur plura suffragia, erit (secundus) electus. Sin verò, tentandum erit tertium scrutinium inter illos pares, qui plura in secundo scrutinio habuerunt suffragia ; imò ad quartum, vel etiam ad quintum scrutinium eodem prorsus modo progrediendum erit, si in tertio, vel quarto scrutinio electio facta non fuerit. Idem procedendi modus erit in electione substituendorum,

[p. 41]

qui in electione mittendorum. Quod si, post quinque scrutinia facta inter eos qui fuerunt pares in suffragiis, non fieret electio, tunc, si omnes electores **scripto** convenerint, **ex can. 172.** Conventus recurrere poterit ad **compromissariorum electionem** trium vel quinque **electionem compromissariorum qui ad mentem can. 169 designandi sunt suffragio scripto et secreto,** ~~ad plura suffragia secreta~~; et ille qui ex iis paribus electus fuerit à majori parte compromissariorum, pro electo sine controversia habebitur. Porrò compromissarii eligentur ex præsentibus, exclusis iis qui cùm sint pares, possunt eligi sivè in mittendas sivè in substituendæ ; licèt enim in ejusmodi electione vocem activam habeant, non tamen passivam.

#### §. XI.

Quòd si visitator fuerit morbo, vel aliquo alio impedimento detentus, quominùs possit ire ad conventum generalem, in suum locum substituet unum ex duobus in mittendas electis ; si autem mortuus fuerit, nullo nominato qui vices ejus gerat, tunc primus ex duobus electis succedet in vice-visitatorem ; secundus verò electus in primum electum, et primus ex duobus substitutis in secundum electum. Similiter, si unus ex duobus in mittendos electi aliquo

[p. 42]

impedimento fuerit detentus, tunc primus ex substitutis sufficietur in ejus locum ordine suprà dicto. Tandem si eveniret, ut visitator cum uno ex duobus electis, vel uterque electus impeditus esset, in hoc casu unus, vel uterque substitutus visitatorem seu vice-visitatorem ad conventum generalem comitabitur, cum jure electorum, nimirum cum omni potestate, tùm ad ea quæ spectant ad electionem superioris generalis, ejusque assistentium et admonitoris ; imò si, indicto quavis de causa conventu generali, vel eo jam coacto, vel statim post ipsum dissolutum moriatur superior generalis etiam recens electus, vel aliquis assistentium vel admonitor, vel si accidat superiorem generalem in eo statu esse qui vicarium generalem exigit, iidem deputati jus habebunt novum superiorem generalem, vel vicarium, vel assistentem, vel admonitorem eligendi, absque nova convocatione et deputatione conventuum provincialium, cum ad hæc etiam et alia negotia in conventu generali tractanda deputati censeantur.

## §. XII.

Post electionem mittendorum et substituendorum, agendum erit de iis quæ conventui generali, vel

[p. 43]

superiori generali, nomine provinciæ, proponenda erunt. Caveant in primis qui intersunt conventui provinciali, ne, majoris boni prætextu, proponant aliquid contra regulas communes Congregationis, nec non istæ constitutiones et alia quæ Instituti substantialia sunt, imò neque contra alia quæ quasi pro substantialibus haberi debent, cujusmodi sunt ea, sinè quibus substantialia nullo modo aut vix conservari possunt. Itaque, iis positus tanquam fundamentis non movendis, tractabitur solùm de rebus quæ possunt aliquid ad eorum perfectionem conferre; si quæ tamen non parva incommoda secuta jam essent, aut secutura manifestè providerentur ex alicujus regulæ ac constitutiones observatione in aliqua provincia; tunc si visitator et saltem duæ tertiæ congregatorum partes judicarent remedium his incommodis à solo conventu generali, aut à superiore generali afferri posse, in illo casu conventus provincialis posset ad duas tertias partes suffragiorum decernere petendum esse à conventu generali, vel à superiore Gen<sup>li</sup> non ut tollat aut immutet regulam aut constitutionem, sed ut vidat et statuatur quid sit faciendum, ut hujusmodi incommodis occurratur. Res de quibus tractabitur post electionem tàm mittendorum,

[p. 44]

quàm substituendorum, determinandæ erunt ad plura suffragia non secreta; et licebit cuique, sentiis aliorum auditis, suam mutare, antequàm quæstio definiatur. Porrò omninò debet visitator impedire, ne quis in sententia dicenda quemquam suggillet, aut quovis modo lædat charitatem fraternam, et procurare ut omnes liberè quidem et sincerè explicent quid sentiant, sed breviter, non repetendo cum temporis jactura, et aliorum tædio, jàm ab aliis dicta; atque modestè, ut decet viros non solum ecclesiasticos, verùm etiàm Congregationis primarios; demùm sanctè, tùm quad finem, tùm quad modum loquendi.

### §. XIII.

Secretarii erit omnia colligere, et quæ in una sessione transacta, vel rejecta fuerint, in sequenti legere, ut conventus videat an omnia sint fideliter collecta et rectè explicata; nec ne omnibus absolutis, congregati subscribent seorsim acta conventûs, et seorsim ea quæ totius provinciæ nomine sunt proponenda conventui generali aut superior generali, quæ omnia, cum visitatore, sigillo provinciæ munit secretarius. Tùm recitabitur alternatim hymnus Te Deum laudamus &. Postea dicetur, flexis genibus, strophe Maria Mater

[p. 45]

gratiæ, cum dox. &.. Idem secretarius eadem acta exscribet, et simul cum visitatore subscribet atque dicto sigillo obsignabit, ad conventum generalem, vel ad superiorem generalem transmittenda. Verùm quamvis ea solùm deferenda sint ad conventum generalem, quæ à provinciali fuerint probata; acta tamen integra, non tantùm quoad probata, sed etiam quoad improbata et rejecta, fideliter describentur, et in archivo, in quo sunt præcipuæ scripturæ quæ ad totam provinciam spectant, diligentissimè asservabuntur.

## Caput VI.

### De agendis in conventu generali ante diem electionis superioris generalis.

#### §. I.

Visitatores unà cum electis in conventu provinciali debent ità tempestivè à suis provinciis proficisci ad conventum generalem, ut tempore à vicario generali ad conveniendum assignato adveniant, et possint singuli visitatores, antequam inchoetur

[p. 46]

conventus, exhibere vicario acta conventuum provincialium, qui ea cum assistentibus examinare debet; ut si ipse et assistentes, post actum lectionem et discussionem, dubitaverint de aliquorum legitima electione, id quamprimùm referant ad conventum, cujus erit decernere an hic et ille, de quibus dubitatur, sint admittendi, nec ne. Postquàm igitur tempus ad conveniendum à vicario præscriptur elapsus fuerit, si saltem duæ tertiæ partes electorum advenerint, et visitatores acta suorum conventuum vicario exhibuerint, inchoabitur conventus generalis; ad quem admittendi erunt reliqui electores absentes cùm advenerint. Ad eum autem, antè electionem superioris generalis, non admittentur alii, præter vicarium, assistentes, visitatores seu vice-visitatores, et duos sacerdotes ex singulis provinciis quos constabit esse legitimè electos in conventibus provincialibus.

#### §. II.

Modus procedendi in conventu generali hic erit: Pridiè ingressûs in conventum, conficietur catalogus omnium electorum cum anno, mense, dieque, quo singuli in

Congregationem ingressi sunt, ut aliquis ordo in sedendo, et in sententiis dicendis servetur; qui ordo hujusmodi erit: Assistentes juxta ordinem electio-

[p. 47]

nis, et visitatores seu vice-visitatores juxtà cujusque in Congregatione receptionem sedebunt à parte dextera vicarii, et reliqui electores à parte sinistra, eodem ordine servato. Ipso autem diè ingressûs in conventum præfatus catalogus in loco ad conveniendum destinato affigetur; atque horâ competenti, ad pulsum campanæ domesticæ, electores vocabuntur; et dicto alternatim, submissâ voce, hymnus Veni Creator cum versu t oratione de Spiritu Sancto, vicarius referet ad congregatos ea, quæ post mortem superioris generalis ad præsens usque tempus fecit ad cogendum conventum generalem; deindè petet à convocatis, an conventus, eo modo quo est convocatus et congregatus, censendus sit legitimus et plenus. Quod ubi statutum fuerit, maximè commendabit secretum circà ea quæ fieri debent, aut quæ dicentur in conventu; tum proponet dubia, si quæ fuerint, circà aliquorum particularium admissionem in conventum, quos ipse et assistentes dubitaverint esse legitimè electos; et de his, antequam admittantur, judicabit conventus, non generatim, sed sigillatim, et ad plura suffragia non secreta; tunc qui fuerint à conventu judicati legitimè electi, vel vocati, cum aliis electoribus admittentur. Postea petetur nùm supplendi defectus, si forsàn aliqui acciderint, sivè in conventibus domesticis

[p. 48]

aut provincialibus, sivè in rebus aliis quæ conventum generalem spectare possint. Quibus peractis, eligitur secretarius conventûs ad plura suffragia secreta, nullique unquam declaranda, quod etiam observari debet in cæteris electionibus quarum infrà mentio fiet, cujus officium usquè ad finem conventûs durabit. In omnibus actis quæ antè electionem generalis fient, vicarius habebit unicum suffragium, sed cum prærogativa in suffragiorum non secretorum paritate. Postremò, curabit legi publicè paragraphæ sequentes hujus capitis sexti usque ad finem ejusdem capitis, ut omnes electores sciant quid agere debeant usque dum fiat electio superioris generalis; ità tamen, ut de his rebus quæ peragi debent, inter se sinè necessitate non loquantur, et multò minùs cum aliis. In fine hujus primæ sessionis, et aliarum sequentium, recitabitur, more Congregationis, Maria Mater gratiæ &, cum versu, ora pro nobis, &, et oratione, Concede nos &...

### §. III.

Tempore pomeridiano, et horâ competenti, habebitur secunda sessio, in qua vicarius post invocationem Spiritûs Sancti, exhortationem ad omnes electores habebit per se, vel, si non posset, per alium à se deputatum,

[p. 49]

cum approbatione tamen majoris partis assistentium; quæ exhortatio non erit ultra semihoram protrahenda; tribus autem punctis constabit: primum exponet rationes quas electores habent se Deo speciali modo devovendi ad eum eligendum in superiorem generalem, qui sit insignitus iis animi et corporis dotibus quæ necessariæ sunt hujusmodi personæ sustinendæ. Secundum declarabit quibus dotibus ornatus esse debeat, et eas breviter explicabit, quæ suprà in capite primo, paragrapho primo, referuntur. Tertium

exhibebit media quibus uti debent, ut ritè se gerant in hujusmodi electione, inter quæ media, exponet contineri in arcula quadam quæ die electionis faciendæ aperietur, schedam manu defuncti superioris gen<sup>lis</sup> scriptam, quæ declarabit dictum superiorem generalem, cum esset in exercitiis, eo fine ut Congregationis statueret duas viros qui ejus judicio proprius accederent ad eas dotes quas ad superioris Gen<sup>lis</sup> personam sustinendam requiri putaret in fine missæ, cùm se collocasset in eo statu, in quo optabat esse in die judicii post suum obitum, ipsas reipsâ designâsse quos tanto oneri ferendo magis idoneos esse crederet, relicta tamen electoribus integrâ libertate, vel è duobus unum eligendi, vel tertium quem gratum habuerint, cum aliorum duorum exclusione. Quòd si hæc prima exhortatio

[p. 50]

fiat ab aliquo per vicarium deputato, debent vicarius et assistentes, priusquàm habeatur, eam examinâsse, monendi causâ deputatum si quid in ea sit addendum, aut tollendum, aut saltem mutandum.

#### §. IV.

Porrò vicarius, in fine exhortationis iterùm omnibus commendabit secretum circa ea quæ fiunt aut dicuntur in conventu, deindè assignabit diem sequentem, atque etiàm posterum, ut illis duobus diebus omnes electores valeant adire eos qui sunt electores et non alios, ad petendas informationes de iis ex quibus inferre possint quinam videantur idonei ad munus Sup<sup>ris</sup> Gen<sup>lis</sup>, petendo, verbi gratiâ quænam sit hujus vel illius scientia, quæ experientia, quod judicium, quæ fidelitas erga Congregationem et ejus regularum observationem, et sic de aliis hujusmodi rebus; ità tamen ut acceptis informationibus, nondùm apud se statuunt, quem sint electuri, donec dies electionis advenerit, et sint ad hunc finem conclusi. Postea electores monebit ut recordentur nemini licere petere an hic vel ille sit aptus ad generalatum; nec petendo aut respondendo, patefacere affectus humanus propensionis ad alicujus electionem, vel ad alterius exclusionem; nec obtrudere informationem non petenti;

[p. 51]

nec referre incerta pro certis; nec uti exaggerationibus quovis prætextu; nec temerè quicquam dicere, ad debere ità in illis informationibus tàm petendis quàm dandis se gerere, ut charitatem fraternam non lædant, et possint in die judicii rectam hujusmodi informationum rationem Deo reddere.

#### §. V.

Declarabit etiàm omnes et singulos electores teneri jure naturali et divino charitatis præcepto ac virtute obedientiæ secretum servare circa ea quæ secretum requirunt, et cavere ne unquàm referant alteri defectus de ipso auditos, in capiendis informationibus, et multò minùs personas incident, à quibus narrati fuerint. Prætereà denunciabit quemlibet teneri in virtute obedientiæ quamprimùm deferre vicario, aut alicui ex quatuor electoribus ratione ingressûs in Congregationem antiquioribus, si sciat aliquem esse qui ab obitu Sup<sup>ris</sup> Gen<sup>lis</sup> usquè ad electionem, pro se aut pro alio affectaverit vel ambierit, aut adhuc

affectet vel ambiat generalatum, ut de hujusmodi affectatione aut ambitu fiat inquisitio, et post sufficientem probationem puniatur reus pro gravitate culpæ. Insuper pronuntiabit excommunicationi latæ sententiæ subjacere quemlibet ex nostris qui à præfato obitu Gen<sup>lis</sup>

[p. 52]

egerit cum aliquo externo, aut tractaverit eo fine, ut sive sui sive alterius promotionem ad generalatum; sive alterius ab eodem generalatu exclusionem procuret, aut quocumque modo electionis libertatem impediatur aut pertubet, vel aliquem ex nostris ad suam ipsius electionem ambitiosè sollicitando generalatum affectaverit, vel qui ad ambientis inductionem pro illius electione quempiam ex nostris sollicitaverit. [hæc ultima verba eâdem è Se. Const. n° 47. expuncta sunt.] Eâdem denique ligari excommunicatione significabit cum, qui non detulerit vicario vel alicui ex præfatis quatuor electoribus quem in aliquo ex casibus in quibus incurritur à nostris suprâ dicta excommunicatio, delinxisse sciverit.

#### §. VI.

Post exhortationem, ad plura suffragia secreta eligentur et deputabuntur quatuor de numero electorum qui in quantum fieri poterit, sint ex antiquioribus congregatis, præsertim de numero visitatorum qui habent majorem cognitionem atque usum rerum Congregationis, qui cum vicario et duobus tantùm assistentibus defuncti generalis ad plura suffragia secreta electis incipiant examinare an et in quibus Congregatio recesserit à suo primo spiritu, vel à suis regulis, constitutionibus, piis exercitiis, laudabilibus usibus et consuetudinibus

[p. 53]

vel sit in periculo proximo et evidenti ab illis recedendi. Idcirco à die hujusmodi deputationis factæ usque ad diem electionis exclusivè, singuli ad hos deputatos ferent tam ea quæ habent nomine conventuum provincialium proponenda circa præfata, quàm ea quæ circa eadem ipsi observârunt; quæ omnia debent esse scriptis mandata et subscripta. Verùm caveant singuli ne ante generalis electionem ad hos deputatos quærelas, accusationes, excusationes, purgationes, aut quid simile circa particulares personas referant, nec, si talia proponantur, admittantur à deputatis, sed rejiciantur usque ad generalis electionem finitam.

#### §. VII.

Cùm deputati receperint quæ proposita fuerint circa statum Congregationis quoad regulas, constitutiones, pia ejus exercitia, atque laudabiles usus seu consuetudines, ea cum secretario conventûs legent et seligent; ità ut quæ ad eamdem rem spectant simul ponantur, sicque redacta ad aliquem ordinem, suo loco, ac tempore opportuno legantur, et conventui proponantur post generalis electionem, si tamen aliqua ex iis quæ proposita fuerint deputatis, ad ipsam electionem pertineant,

[p. 54]



tunc ipsi deputati de iis cum vicario et assistentibus conferent, et cum iisdem videbunt iudicabuntque an ea sint tanti momenti, ut debeant ad conventum Gen<sup>lem</sup> deferri. Quòd si ei proponenda vicarius, assistentes atque deputati ad plura suffragia iudicaverint, tunc ea proponente vicario, et ab eodem actionibus utrinque [*sic*] adductis, electores juxta pluralitatem suffragiorum definient quid in rebus propositis agendum sit. Hoc autem modo determinabuntur, si quædam non parvi momenti ad electionem pertinentia conventui sunt proponenda.

#### §. VIII.

Ut electores omnes opportuniùs operam informationibus tam petendis quam dandis, et omnes tum electores tum ali meliùs vacent orationibus atque etià corporis mortificationibus pro felici successu electionis, in biduo ante electionem nullus, si fieri potest, domo exibat. Si verò aliqua necessitas urgeret et cogeret aliquem egredi, præsertim si sit ex numero electorum tum de illa urgente necessitate iudicabit vicarius cum assistentibus, imò si ipse velit exire, causam egressûs cum iisdem communicabit, quam si approbent saltem duo assistentes, egredi poterit; in eodem biduo delationes de affectatione seu ambitu generalatûs, si aliquæ fuerint, iudicabuntur.

[p. 55]

Modus procedendi in hujusmodi iudicio ferendo hic erit: vicarius et quatuor electores, ratione ingressûs in Congregationem antiquiores, accepta aliquâ circa ambitum delatione, diligenter eâ de re secretò se informabunt, et de ea accuratè ac fideliter cognoscent. Licebit autem accusato ex quinque iudicibus hîc assignatis, ad tres usque, sibi suspectos recusare, etiam non allegatâ recusatōis causâ. Quòd si ex illis quinque pauciores tribus rejiciat, tot alios recusare poterit ex iis qui à conventu ad plura suffragia secreta in locum priorum substituti fuerint, quot ad complendum istum ternarium desiderantur. Cæterùm si contigerit accusatum evidenti testimonio convictum esse, quæ tamen convictio non est iudicè tentanda, sed sufficiet, ut de veritate eorum quæ objecta fuerint, sufficienter constet nimirùm iudicio saltem trium ex quinque ipsis iudicibus, quâcumque ratione id constare possit, ipso in perpetuum omni suffragio activo et passivo in dicto conventu Gen<sup>li</sup> ac in cæteris omnibus conventibus privatur.

#### §. IX.

Si ipse vicarius vel aliquis ex præfatis quatuor antiquioribus, quod Deus avertat, de hujusmodi ambitu notatus esset, alius etià antiquior vocandus

[p. 56]

erit, in eâ de re semper quinque, excluso scilicet eo qui denunciatus est ambiisse pro se aut pro alio, cognoscant, et ad plura suffragia iudicent, datâ priùs accusato facultate recusandi, ut suprâ. Quòd si vicarius post sufficientem informationem iudicaretur ambiisse pro se aut pro alio, tunc non poterit interesse; et multò minùs præesse conventui, sed in ejus loco præerit electioni primus assistentium. Quamvis autem affectationis seu ambitûs iudicum sententiis standum sit absque ullâ appellatione, licebit tamen ei, sivè sit

ipse vicarius, sivè alius qui sibi videretur falsò accusatus ac injustè judicatus, agere et purgare se coràm conventu, idque tantùm post electionem generalis, atque eâ conditione, ut nisi sufficienter se purgaverit, iudicio conventûs debeat aliquam aliam pœnam subire. Porrò iudicum ambitûs potestas durabit toto conventûs tempore, ità ut etiàm post electionem generalis, possint in reos inquirere, et ut tales compertos, pro culpæ gravitate punire, sed præsentè, nec non iudicium dirigente novo superior generali.

#### §. X.

Omnes tàm delatores ambitûs, quàm iudices, testes, et alii qui fuerint ad consilium vocati in ejusmodi causâ, ità tenentur secretum servare cum omnibus

[p. 57]

aliis circâ delationes factæ, antequam sententia de illis feratur, ut etiam in dandis informationibus alicui electori petenti qui non sit ex iudicibus non debeant res delatas ei notificare, quas tanquàm iudices aut consiliariis cognoverint. Si quis ex ipsis iudicibus ejusmodi secretum violaverit, iudicandi potestate ipso facto privatus ab aliis quatuor declarabitur et in ejus locum alius inter cæteros electores ratione ingressûs in Congregationem antiquissimus substituetur. Cæterùm post electionem generalis, aliis pœnis juxtà conventûs iudicium subjicietur. Si quis verò ex delatoribus aut testibus, aut ad consilium vocatis secretum non servaverit, similiter pro conventûs arbitrio post electionem punietur; sed multò magis si quis ex ipsis delatoribus circâ rem delatam, aut ex testibus circâ attestatam, malignè et calumniosè egerit. Hic enim, si de ipsius calumniâ evidenter constet, eâdem pœnâ mulctabitur quæ in accusatum, si reus esset comprobatus, irrogata fuisset.

#### §. XI.

Pridiè electionis superior generalis, et quidem manè, deputabitur à vicario, sed priùs consultis assistentibus, et ad plura suffragia secreta approbantibus, unus extrà numerum electorum ex antiquis sacerdotibus qui tunc erunt in eadem domo, qui die

[p. 58]

sequenti includat electores, cum etiàm adjugetur socius qui ipsum adjuvet, tàm in præparandis ad electionem necessariis, et in curâ inclusionis habendâ quàm in administrandis rebus, si quæ fuerint ipsis necessariæ post inclusionem. Tempore autem pomeridiano, et horâ competenti, omnes electores convocabuntur ad locum solitum; quibus congregatis legetur publicè totum caput septimum, quod paulò inferiûs habetur, tractatque de rebus quæ ipso electionis die observandæ et agendæ sunt.

#### §. XII.

Quæ pridiè electionis in loco ad id designato parari debent sunt: 1º mensa satis elevata, in modum altaris accommodata, in cuius medio sit imago crucifixi. 2º. Aliqua alia mensa ad quam sedeant Vicarius, secretarius conventûs et assistens electionis die sequenti

eligendus, et aliæ duæ vel plures parvæ mensæ in diversis locis commodis positæ, cum chartâ, atramento, calamis et cerâ ut ibi separatim et eodem tempore possint duo vel plures electores sua suffragia scribere et sigillare. 3° Urna seu pyxis suprâ præfatam mensam in modum altaris, ut jàm dictum est, accommodatam, et ità obseratam ut suprema ejus pars

[p. 59]

unius pollicis ductu pateat, in quam suffragia conjiciantur. 4° Schedulæ impressæ aut manu scriptæ, longitudine ferè unus palmi et latitudinis saltem dimidii palmi, in disco vel calatisco, contentæ quæ electioni affatim suppetant, in quarum facie seu parte interiori sint hæc verba: Ego N. eligo in superiorem generalem Congregationis Missionis Dominum N. ità ut in dictis schedulis nihil sit scribendum ab electore, nisi nomen suum in facie, seu parte interiori et nomen electi in eâdem facie. In tergo autem, set parte exteriori, sit juramentum hujusmodi: Testem invoco Jesum Christum qui me judicaturus est, quòd ego N. illum eligo et nomino in superiorem generalem Congregationis Missionis quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum.

### §. XIII.

Ut prædictarum schedularum forma meliùs percipiatur, et faciliùs conficiatur, pro exemplo habebitur sequens figura, in cujus interiori facie denotatur ubi scribendum sit nomen eligentis, scilicet in secundâ parte inter secundam lineam et tertiam; deindè ubi nomen electi, nimirùm in tertiâ parte, id est inter tertiam lineam et quartam, loca etiam ceræ applicandæ atquæ [*sic*] chartæ sigillandæ, scilicet propè

[p. 60]

tertiam lineam in duabus extremitatibus et in medio; ità ut, quandò nomen electi legendum erit, non possit conspici nomen eligentis, sed sit omninò occultatum, chartâ remanente plicatâ à parte superiori usque ad tertiam lineam, tùm in quibus locis ejusdem interioris faciei plicanda sit schedula; nimirùm ubi sunt lineæ; ità ut pars superior, plicata et sigillata, abscondat nomen eligentis, et pars inferior plicata et non sigillata tegas nomen electi, usque dùm sit legendum. Quòd verò attinet ad partem exteriorem seu tergum schedulæ, juramentum debet contineri inter secundam lineam et tertiam ipsius tergi; ità ut habeat in aversa parte interiori nomen eligentis. Hoc autem observandum est ad obscurandum diaphanum schedularum, ne ad lucem nomina eligentium conspici possint à vicario, vel à secretario conventûs vel ab assistente electionis qui tres debent videre ac legere nomen electi, sed non eligentis, ut dicetur in capite sequenti.

[p. 61]

Exemplum  
partis interioris, seu faciei schedulæ scrutinii.



	Ego (ponitur hîc nomen eligentis)	
Locus ceræ	Locus ceræ	Locus ceræ
Eligo in superiorem generalem Congregationis Missionis, Dominum. (ponitur hîc nomen electi.)		

[p. 62]

Exemplum  
partis exterioris, seu tergi schedulæ scrutini

Testem invoco Jesum Christum qui me judicaturus est, quò ego N. illum eligo et nomino in superiorem generalem Cong. <sup>nis</sup> Missionis, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum.

[p. 63]

## Caput VII.

### De iis quæ ipso die electionis sunt observanda et facienda.

#### §. I.

Cùm dies electionis advenerit, qui tertius erit exclusivè à secundâ sessione Conventûs generalis, biduum enim erit intermedium inter secundam sessionem et tertiam, in quâ dicta electio fiet, celebrabitur sacro-sanctum Missæ sacrificium à vicario vel ab uno ex electoribus cui cæteri omnes electores aderunt sacramque synaxim recipient, deindè omnes qui habent jus eligendi, ad pulsum campanæ domesticæ convocabuntur ad eum locum, in quo fieri debet electio. Interim curabit vicarius, ut omnium electorum antiquissimus ratione ingressûs in Congregationem et secretarius conventûs afferant, ex archivo domûs ad locum conventûs arculas, quæ continent schedam manu defuncti generalis scriptam et subscriptam pro electione novi generalis. Cùm fuerint electores congregati, nullum inter particulares ampliùs fiet de electione colloquium, nec ulla ibi delatio,

[p. 64]

aut protestatio admittenda erit, et nemini licebit tunc temporis quicquam proponere, quod electionem differat, nedùm perturbet, et multò minùs impedia sed singuli Deo tanti ponderis negotium pro viribus commendabunt, ut ostendat quem elegerit ipse, atque ideò conventum incipient ab hymno, Veni, Creator Spiritus, quem recitabunt alternatim, cum versu, et oratione Spiritûs Sancti: post cujus recitationem surgent omnes, ac sedebunt, nimirùm secretarius conventûs ad dexteram vicarii, juxta mensam, et omnium electorum antiquissimus ad sinistram ejusdem vicarii, usquedùm electus fuerit à congregatis assistens electionis, de quo infrà paragrapho quarto; reliqui verò sedebunt juxtà ordinem, jàm suprâ explicatum capite præcedenti, paragrapho secundo.

#### §. II.

Ubi primùm sederint electores, vicarius monebitur claves arcularum, in quibus nomina duorum includuntur, quos defunctus Gen<sup>lis</sup> putavit digniores, ut ex iis alter in ejus successorem eligatur, in mensa ad quam sedet ipse Vicarius, coram omnibus deponantur. Tunc primus assistens, deindè secundus, quorum fidei idem superior Gen<sup>lis</sup> commiserit claves minoris arculæ, accedent ad mensam, et in ea coram omnibus ambas claves

[p. 65]

deponent, statimque redibit uterque in locum suum; similiter antiquior clavem majoris arculæ sibi tempore ultimæ ægrotationis superioris generalis traditam, afferet; et continuò ad locum suum se recipiet, si fuerit unus ex electoribus; alioquin, tradità clave, exhibit è conventu. Quibus peractis, electores includentur ab uno ex sacerdotibus Congregationis

ad illud opus deputato, adeò ut non valeant indè exire, et administrari eis nihil aliud possit, præter panem et aquam, donec superiorem generalem elegerint.

### §. III.

Inclusis electoribus, continuò vicarius brevem exhortationem ad congregatos habebit per se, vel per alium se cum approbatione majoris partis assistentium deputatum; cujus exhortationis, ut prioris finis erit: 1<sup>o</sup> exhibere rationes quibus moveri possint electores, ad se in præsentis negotio gerendas eo modo, quo se habuisse vellent in horâ mortis. 2<sup>o</sup>. Quid præstare debeant, ut hæc electio ad majorem Dei gloriam peragatur. Deputatus autem ad hujusmodi exhortationem habendam, debet illam saltem pridè electionis manè ostendere non solùm vicario, sed etiàm ipsis assistentibus, ut unà videant et opportunè admoneant, si in ea aliquid sit mutandum, aut addendum, aut tollendum,

[p. 66]

ut jam dictum est de prima exhortatione, capite præcedenti, paragrapho tertio. In hac verò exhortatione duo præcipuè cavenda sunt, ne scilicet, quovis dato signo, aliqua persona particularis denotetur, et ne sermo ultrà semihoram protrahatur.

### §. IV.

Finitâ exhortatione, eligetur ad plura suffragia secreta, et cui data sunt, nemini unquam declaranda, unus assistens ex numero electorum qui serviat electioni superioris generalis, ideòque vocatur assistens electionis, et ejus officium, electo generali, cessat. Hujusmodi autem assistens juxta formam quæ sequitur, eligetur: singuli post vicarium et secretarium, ad parvas mensas quæ debent ibi esse cum atramento, calamis atque schedulis præparatis collocatæ in locis aptis, ut qui scribunt, videre ac videri possint; quid verò scribitur, videri non possit; ibunt per ordinem, scilicet vicarius, secretarius conventûs et antiquior qui vicario assidet, deindè antiquiores incipiendo ab iis qui sedent ad dexteram vicarii, juxtâ ordinem antiquitatis in Congregatione, postremò qui sedent ad sinistram, servato eodem ordine, et ibi schedulam quisque suam ex disco aut calathisco accipiet, atque in ea scribet nomen ejus quem eligit in assistentem elec-

[p. 67]

tionis; postea ad mensam per modum altaris præparatam accedet, suamque schedulam plicatam coram omnibus mittet in pyxidem eidem mensæ superpositam. Quibus peractis, secretarius pyxidem afferet ad mensam vicarii, et ibi schedulas extrahet eas sigillatim sumet, evolvit, ostendet vicario et antiquiori qui ad ipsius sinistram sedet, demùm leget altâ voce ejus nomen quem quælibet schedula designat; quique plura sortitus fuerit suffragia, assistens electionis habebitur. Statim atque assistens electus et nominatus fuerit, præfatus antiquior qui, causâ videndi, legendi ac numerandi suffragia pro assistente eligendo ad sinistram vicarii sedebat, indè recedet, nisi fuerit electus in assistentem electionis, et ibit ad locum suum qui interim debuit esse vacuus, moxque assistens recens electus se conferet ad sinistram vicarii, cui assidebit usque ad electionem superior generalis factam.

§. V.

Post assistentis electionem, vicarius, secretarius et assistens, stantes ad mensam, de secreto atque fidelitate circa electionis superioris generalis negotium servandis, juramentum præstabunt in hunc modum: Testem invoco Deum quòd ego secretum inviolatè

[p. 68]

servabo circa præsentem electionem faciendam, ac fideliter accipiam, legam, et publicabo omnia electorum suffragia. Hujusmodi juramento præstito, aperietur à vicario præfata arcula major, deindè minor in ipsa majori contenta, in qua minori defunctus generalis inclusit schedam quæ continet duorum nomina, quos sentiebat digniores ut ex iis alter ei succedat: ità tàmè, ut conventui Gen<sup>li</sup> remaneat jus eligendi alium qui magis idoneus ad hoc munus evisus fuerit, ut suprà jàm pluriès notatum est capite scilicet tertio et sexto. Hæc autem scheda altâ voce legetur à secretario qui eam exhibebit vicario et assistenti, postea singulis electoribus, incipiendo ab iis qui sunt ad dexteram, ut notum omnibus fiat dictam schedam manu defuncti generalis scriptam fuisse.

§. VI.

Ubi dicta scheda defuncti generalis lecta fuerit, quilibet apud se Deum orabit per horæ quadrantem, et in silentio in conspectu Divinæ ejus majestatis eum eliget quem magis idoneum esse senserit; ità tàmè ut si duos aut etiàm plures æquè idoneos sentiret, possit tutâ conscientiâ ei, cui voluerit, suffragando, jurare, quandò opus erit, se eum eligere, et

[p. 69]

nominare, quem senserit aptissimum. Factâ per horæ quadrantem oratione mentali, vicarius stans totum cœtum genibus nixum ab omnibus censuris ad effectum legitimæ electionis absolvet his verbis: Ego vicarius generalis Congregationis Missionis, auctoritate, in hac parte, mihi licèt indignissimo concessâ, absolvo vos ab omnibus censuris ad effectum duntaxat legitimæ electionis, in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti, Amen. Continuo is qui fuerit ratione receptionis in Congregatione antiquissimus, surgens absolvet eundem vicarium, dicens: Ego Sacerdos Congregationis Missionis, auctoritate, in hac parte, mihi licèt indignissimo concessâ, absolvo te ab omnibus censuris ad effectum duntaxat legitimæ electionis in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti, Amen.

§. VII.

Postea omnibus electoribus surgentibus, moxque consedentibus, singuli post vicarium, secretarium et assistentem, ibunt per ordinem ad parvas mensas, ubi sunt schedulæ scrutiniî præparatæ, et ibi schedulam quisque suam ex disco aut calathisco accipiet, atque in ea scribet hoc modo: primò, in secunda parte inter secundam lineam et tertiam post

[p. 70]



verbum, Dominum scribet nomen illius quem eligit in superiorem generalem, sed caractere ita alterato et immutato, ut manus scribentis cognosci non possit à vicario, vel à secretario, vel ab assistente qui suffragia inspecturi et lecturi sunt; deinde, in tertia parte post verbum, Ego, suum nomen scribet, statimque schedulâ complicatâ, illud obsignabit in locis parvulorum circularum in quibus cera fuerit eodem tempore ab ipso posita, ut nomen eligentis non videatur. Tum complicatam hujusmodi schedulam sibi servabit donec mittenda sit in pyxidem, et continuò suam sedem repetet; quæ omnia singuli vicissim suo ordine peragent.

#### §. VIII.

Schedulis omnibus scriptis, subscriptis, atque obsignatis, vicarius surget, et accedet ad mensam per modum altaris præparatam genua flectet coram crucifixo, ibique invocato, per signum crucis, Sancti Spiritûs auxilio, protestabitur ac jurabit vivâ voce coram omnibus, se eum eligere et nominare in superiorem generalem, quem coram Deo huic oneri ferendo magis esse idoneum credit. Juramentum verò scriptum, vel impressum à tergo schedulæ altâ voce leget sub his verbis conceptum: Testem invoco Jesum Christum qui me judicaturus est, quod ego

[p. 71]

N. illum eligo et nomino in superiorem generalem Congregationis Missionis, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum. Quo facto, idem vicarius surgens, ac duobus digitis tenens et ostendens suam schedulam plicatam, quæ dictum juramentum nomenque ejus quem eligit, ac suum continet illam coram omnibus in pyxidem obseratam supremâ suâ parte, unius nimirum pollicis ductu patentem, mittet, tùm factâ ad crucifixum inclinatione, redibit ad locum suum; postea secretarius et assistens et quilibet ex electoribus idem per ordinem observabunt, dictum scilicet juramentum quisque sigillati pariter emittendo, atque schedulam suam nomen electi continentem, propriâ manu subscriptam ac obsignatam, eodem modo ostendendo, illamque palam et in conspectu omnium in pyxidem mittendo; sed eâ ratione, ut qui secundo loco suam schedulam laturus est, non surgat donec prior suam tulerit, et in suum locum redierit.

#### §. IX.

Patis omnibus schedulis, secretarius surget et afferet pyxidem ad mensam vicarii, atque ex eadem pyxide, in qua debent prius moveri ac misceri schedulæ, antequam extrahantur, illas postquam numeratce [*sic*]

[p. 72]

fuerint, sigillatim sumet, evolvit, et cum modestia ostendet vicario et assistenti, legetque altâ voce nomen ejus quem quælibet schedula designat, omisso eligentis nomine, quod obsignatum manebit, ut dictum est suprâ; nunquam enim licet in hujusmodi electionibus, nomina eligentium quovis modo manifestare, ac multò minùs publicare. Deinde vicarius, secretarius et assistens sigillatim conferent numeros eorum qui nominati fuerint, et si quis plusquam mediam partem suffragiorum sortitus fuerit, ille erit superior generalis. Proinde statim idem vicarius, si ipse electus non fuerit, declarabit publicè numerum suffragiorum

esse sufficientem ad electionem superioris generalis; moxque hâc ratione et vivâ voce decretum electionis formabit, in hunc modum: In nomine meo et omnium idem sententium, eligo et nomino in Superiorem Generalem Congregationis Missionis Dominum N.; et continuò omnes eum sigillatim genibus in terram flexis, salutabunt, ejusque manum humiliter osculabuntur, incipientibus vicario, secretario et assistente, nisi aliquis ex ipsis electus esset. Qui verò electus fuerit commissum suis humeris onus, dictamque salutationem ab omnibus exhibitam non renuet, ejus memor in cujus nomine gratam habere debet electionem.

[p. 73]

§. X.

Quoniam autem evenire potest, ut in primo scrutinio nullus plusquam mediam partem suffragiorum sortiatur; in hoc casu tentandum erit secundum scrutinium eodem pacto quo factum fuit primum; sed in eo nullus eligi poterit, nisi sit ex eis qui in primo sortiti fuerint suffragia aliqua; si verò neque in secundo electus esset generalis, poterit tertium pari modo tentari scrutinium, imò et quartum atque etiam quintum, si ità expedire visum fuerit conventui. Quibus scrutiniis frustrâ tentatis, si electores omnes convenerint referendum esse totum electionis negotium compromissariis, tunc quinque, denidè si opus fuerit, plures, modò omnes sint numero impares, ad plura medietate suffragia secreta eligentur in compromissarios, ex numero scilicet congregatorum, qui non habuerint suffragia passiva ad generalatum, vel si habuerint aliqua, fuerint ità pauca, ut non pertigerint ad quatuor suffragia. Modus procedendi in hujusmodi electione per compromissarios, hic erit: primò singuli electores, incipiendo à vicario, secretario et assistente,

[p. 74]

jurabunt genuflexi antè crucifixum in hunc modum: Testem invoco Jesum Christum qui me judicaturus est, quòd Ego N. eligo et nomino in superiorem generalem Congregationis Missionis, quem compromissarii ad id constituti elegerint et nominaverint. Deindè pro singulis compromissariis constituendis suffragia sigillatim scribentur, ac ferentur ad pyxidem, publicabunturque à secretario, eo modo quo jam explicatum est superiùs, scilicet paragrapho septimo, octavo et nono; non tamen reiterabunt juramentum quod habetur eodem paragrapho octavo. Compromissarii eligent generalem ex eis qui saltem habuerint quatuor suffragia, relictis illis qui minùs quàm quatuor habuerint. Quem autem major pars compromissariorum elegerit, servatâ ab iis eâdem per proportionem electionis formâ quæ in tribus ultimis paragraphis continentur, ille censendus erit et declarabitur superior generalis, et ut talis ab omnibus electoribus salutabitur.

§. XI.

Postquam vicarius atque secretarius salutaverint electum generalem, cæteris idem facientibus, scribet vicarius decretum electionis in hanc formam: Cùm in pleno et legitimo conventu

[p. 75]

Generali, plus quàm media pars electorum reverendum dominum N. elegerit, ego, auctoritate totius Congregationis, nomino præfatum dominum N. in superiorem generalem Congregationis Missionis. In nomine Patris et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen. In tali loco, tali die, mense et anno. Quod decretum subscribet idem vicarius, sigilloque Congregationis obsignabit; ac statim omnia suffragia à secretario in eodem conventûs loco publicè comburentur. Tùm demùm hymnus Te Deum laudamus, alternatim recitabitur; quo finito, recludentur ab inclusore fores ut possint electores è loco conventûs exire. Si verò ipse vicarius electus esset in superiorem generalem, secretarius publicabit pluralitatem suffragiorum, ac decretum electionis formabit eodem modo, atque iisdem verbis, quibus illud formaret ipse vicarius, si non esset electus; idemque decretum scribet et subscribet, quod etiam obsignabit sigillo Congregationis.

#### §. XII.

Quod si electus non sit unus ex numero

[p. 76]

congregatorum, sed sit in eadem domo vel in urbe in qua habetur conventus, statim vocandus est, neque ipsi, neque aliis qui sunt extrà conventum causâ vocationis indicatâ. Interim scribetur, subscribitur et obsignabitur decretum electionis juxtâ prædictam formam ac suffragia comburentur, electoresque in eodem loco inclusi remanebunt, donec evocatus advenerit, atque ipsi reverentia præfata exhibita fuerit. Si autem electus absit ab urbe, in qua facta est electio, eadem peragentur ac si esset in urbe; excepto quòd electores, post decretum scriptum, subscriptum ac obsignatum, et suffragia combusta, è loco conventûs egredientur; atque intereâ dùm veniat electus generalis, operam dabit vicarius cum conventu rebus Congregationis, et præsertim, nisi parùm abesset novus electus, tractationi rerum cum ipso decernendarum, reservatâ tamen assistentium, necnon admonitoris electione post ipsius generalis adventum.

#### §. XIII.

Post legitimam promulgationem electionis

[p. 77]

superioris generalis, factæ ad plura medietate suffragia, sive omnium electorum sive compromissariorum tantùm, nulli fas erit suffragium suum revocare, aut novam electionem tentare, aut contrà hujusmodi electionem protestari; et debet quilibet apud se maturè cogitare, an velit esse schismaticus, et forsàn auctor ruinæ et subversionis totius Congregationis, incidere in excommunicationem latæ sententiæ, atque subire graves alias censuras aut pœnas, pro arbitrio conventûs generalis, cujus est impedire quominùs electio perturbetur, et multò minùs quævis protestatio, si in tali occasione fieret, admittatur quovis prætextu.

### Caput VIII.

## De iis quæ post electionem generalis fieri debent.

### §. I.

Absolutâ superioris generalis electione,

[p. 78]

ipse incipiet gubernare universam Congregationem sed non poterit mutare officiales qui a generali solent institui, nisi post dissolutum conventum. Conventui generali præerit, eumque in omnibus diriget; ideòque cessabit officium vicarii qui tamen intererit reliquis conventûs sessionibus cum jure suffragii, locumque habebit primum inter assistentes et visitatores. Ex quo autem fuerit à conventu electus generalis, jus habebit tùm in hoc ipso conventu, tùm in aliis quibusque, duo ferendi suffragia, sivè secreta illa fuerint, sivè non secreta, atque prærogativam in suffragiorum non secretorum paritate. Si quid tamen ab ipso et à quibusdam à conventu deputatis suffragiorum non secretorum viâ definiendum erit, unico tantùm cùm prærogativâ in paritate gaudebit. In electione quoque duorum assistentium et quatuor deputatorum ad eligenda proposita, unicum habebit suffragium, sed sinè prærogativa, quia electio fit per suffragia secreta. Elapso itaque post ipsius electionem uno aut altero die, de rebus aliis gravioribus tractabitur. Eæ verò intelliguntur res graviore quæ ad statum universæ Cong<sup>nis</sup> pertinent, aut quæ sunt adeò difficiles

[p. 79]

ut à solo superiore generali cum assistentibus definiri, aut benè expediri non possint. Verùm, ante omnia in prima sessione legetur coram omnibus congregatis hoc caput octavum, nec non caput sequens, quod tractat de electione assistentium et admonitoris superioris generalis, ut unusquisque sciat quomodo in his negotiis pertractandis procedendum erit.

### §. II.

Singulæ sessiones inchoabuntur ab electo superiore generali per recitationem hymni Veni, Creator Spiritus &. Conventui, post hujusmodi electionem, continuando ad res graviore tractandas, non solùm ii omnes qui generalem elegerint intererunt et jus suffragii in eo habebunt, sed etiam secretarius Congregationis et procurator similiter Congregationis, qui quidem post visitatores sedebunt conventûsque secretarium extrâ ipsum conventum ad conficienda decreta adjuvabunt. Quòd si secretarius conventûs esse electus in superiorem generalem, vel aliquis ex quatuor ad proponendorum selectionem deputatis,

[p. 80]

de quibus suprâ habetur capite sexto, paragrapho sexto et septimo, tunc erit alius in secretarium, vel deputatum eligendus ad plura suffragia secreta. Nemini autem, præterquàm prædictis, licebit in rebus à conventu tractandis vel tractatis se immiscere, informationes congregatis obtrudere, aut ipsos inducere ad hanc vel illam rem

suscipiendam, vel sententiam tenendam. Siverò aliquis habuerit quicquam proponendum, id priùs scriptum, et à se subscriptum deferet ad secretarium conventûs, vel ad quemvis ex quatuor præfatis deputatis.

### §. III.

Quæ tractanda erunt diligentissimè secretò expedientur, et quod uno die proponetur, altero, si fieri potest, decernetur; relictis interim in eodem conventûs loco scriptis rationibus circà rem propositam, ut inter unam et alteram sessionem à congregatis legi et expendi possint. Cavere autem omnino debent congregati ne quidquam contra substantialia Instituti, cujusmodi sunt regulæ communes, necnon istæ constitutiones et functiones essentielles

[p. 81]

Congregationis proponant; verùm si gravia incommoda ex alicujus regulæ seu constitutionis observatione, vel ex aliquo functionum instituti exercitio in quibusdam locis sint jam secuta, vel secutura manifestè prævideantur, poterunt proponi non ut tollantur aut immutentur hujusmodi regulæ aut constitutiones, sed ut ipsis non parvi momenti incommodis efficacia remedia à conventu applicentur. Quòd si deputati ad selectionem proponendorum dubitaverint an id vel illud quod habent inter proponenda sit ex rebus substantialibus Instituti, necne, de eo minimè tractabitur, nisi priùs duæ saltem tertiæ partes congregatorum judicaverint illud non esse substantiale Instituti: licebit etiam substantialibus, tamen de omnibus Instituti rebus, declarationem seu explicationem à conventu petere, ut, si ei visum fuerit expedire, aliquam elucidationem seu declarationem circà rem propositam præbeat.

### §. IV.

Antequàm quidquam in hac sessione quæ est prima post electionem superioris generalis proponatur, ipse publicè legi

[p. 82]

faciet quæ hîc habentur ab hoc paragrapho quarto inclusivè usquè ad decimum exclusivè; deindè assignabit ad electionem assistentium necnon admonitoris, diem à presenti sessione secundum, ut in spatio diei intermedii electores valeant petere et dare informationes necessarias pro hujusmodi electione, quæ ante id tempus nemini licebit petere et dare. Monebit in primis generalis congregatos, ut informationem non petant nisi ab electoribus; quam interrogati dare tenebuntur, et non interrogati dare non poterunt; atque tàm isti, quàm illi, contentur id facere cum pura intentione, ac eo modo quòd vellent fecisse in articulo mortis, majus Dei obsequium perfectiusque Congregationis regimen intuendo, maximè autem cavendo ab omni inordinato affectu, sivè propensionis, sivè aversionis, etiàm à curiosis quæstionibus, responsis inconsideratis, exaggerationibus quibuscumque, et similibus rebus veritati aut charitati contrariis. Denique non quærant an hic, aut ille sit aptus ad assistentis officium, necne; an talis sit idoneus ad fundendum officio admonitoris, necne;

[p. 83]

sed informationem petant de rebus illis de quibus in satis conijcere et judicare possint.

#### §. V.

Meminerit etiam generalis declarare omnes et singulos electores obligatione juris naturalis ac divinæ legis, quæ ad charitatem unionemque conservandam adstringit, atque virtute sanctæ obedientiæ devinctos esse ad servandum secretum circà eà quæ secretum requirunt ; ità ut numquam possint, tutâ conscientîâ, deferre ad alterum defectus de ipso auditos in accipiendis informationibus ; et longè minùs personas particulares denominare à quibus notati aut expositi fuissent. Tandem significabit omnes non solum electores sed etiam alios qui non sunt ex conventu, teneri, in virtute sanctæ obedientiæ, quamprimùm ad generalem deferre, si sciant aliquem esse qui pro se, vel pro alio ambierit assistentis aut admonitoris officium. Quòd si sufficienter probatum fuerit judicio generalis et quatuor totius conventûs

[p. 84]

antiquissimorum, tribus ex ipsis quinque in sententiam affirmativam convenientibus, punietur privatione suffragii activi vel passivi, vel utriusque, vel etiam majori pænâ, pro ambitûs modo aut qualitate, et probationis certitudine ; sevatâ eâdem recusandi formâ quæ suprâ capite sexto, paragrapho octavo, præscripta est. Omnes autem tàm delatores quàm judices ambitûs tenentur eadem observare quæ suprâ habentur capite sexto, paragrapho decimo.

#### §. VI.

Ordo in rebus tractandis hic erit: 1° Res expedientur quas generalis dederit proponendæ. 2° Quas assistentes, juxtâ ordinem electionis. 3° Quas visitatores, juxtâ antiquitatem in Congregatione. 4° Quas deputati provinciarum. 5° Quas secretarius conventûs et secretarius Congregationis, necnon procurator similiter Congregationis. 6° Denique quas quatuor deputatis exhibuerint procuratores provinciarum, si tunc temporis ibi reperiantur aliqui, et alii qui non sunt ex numero

[p. 85]

congregatorum. Sed ut meliùs et faciliùs hic ordo in proponendis observetur, unusquisque in rebus quas exhibuerit secretario conventûs, aut alicui ex quatuor præfatis deputatis, suum nomen subscribere debet, alioquin ultimæ tractabuntur. Verùm quæ proponuntur à quovis præterquam à superiore generali, priùs erunt ab eodem generali, duobus assistentibus superioris demortui ad id electis et ipsis quatuor deputatis judicanda ad pluralitatem suffragiorum digna quæ proponantur.

#### §. VII.

Res propositæ decernentur ad plura medietate suffragia omnium congregatorum; et quilibet in dicenda sententia studebit, ex professo, simplicitati, sinceritati ac modestiæ, imò etiàm brevitati, non repetendo inutiliter quæ à prioribus fuerint jàm dicta.

Deliberationes atque decreta conventûs scribet secretarius in libro ad id præparato. Porrò quæ uno die definientur, sequenti legentur publicè à secretario, un conventus

[p. 86]

judicet sint ne omnia rectè fideliterque exep̄ta et explicata, an non; et licebit eodem diè sequenti cuivis ex congregatis in re definita liberè contradicere, humiliter tamen ac modestè, allatis in contrarium rationibus, quas si conventus non judicaverit sufficientes ad sui præcedentis decreti mutationem, standum erit definitioni præcedenti.

#### §. VIII.

Quòd si re aliquâ hinc et indè in una et altera sessione agitatâ, nihil circa rem propositam statueretur, tunc deliberandum erit, ad duas tertias saltem partes suffragiorum, an definitores eligi debeant nec-ne; si sententia congregatorum sit affirmativa, eligentur statim quinque, aut septem definitores ad plura medietate suffragia secreta qui cum generali, ad plura suffragia non secreta, rem propositam definiant. Ipsorum deliberatio in loco conventûs affigetur, ut eam singuli congregatorum opportunè legere et maturiùs considerare possint, antequam conventui coacto proponatur. Imò etiàm ad celeriores rerum

[p. 87]

tractandarum expeditionem, si earum multitudo aut qualitas id exigat et conventus id approbet, aliqui ex congregatis ab ipsomet conventu, ad plura medietate suffragia, vel ex commissione generalis, consentiente conventu, deputari poterunt ad res minoris momenti tractandas, cum ea potestate quam illis concedendam idem conventus censuerit; ad quem postea referent suæ deliberationes, ut ipse de illis dijudicet et decernat. Hi verò deputati de rebus sibi commissis ad plura suffragia non secreta deliberabunt.

#### §. IX

Antè dissolutionem conventûs generalis quæ fieri non debet sinè consensu ipsiusmet conventûs, secretarius publicè simul leget. Omnia decreta et alia acta quæ subscribentur à congregatis et sigillo Congregationis munientur. Tùm recitabitur alternatim hymnus Te Deum laudamus, postea dicetur flexis genibus et more Congregationis Maria Mater gratiæ. Omnia autem acta conventûs generalis in archivo

[p. 88]

domûs ubi solet superior generalis residere, diligentissimè asservabuntur, ex quibus excerpta decreta, præsertim quæ ad praxim spectant, et in epitomen redacta, atque à superiore generali ac secretario conventûs, vel, eo absente, à secretario Congregationis subscripta, visitoribus quàmprimùm communicabuntur, ut in qualibet provincia ad ea recurrere possit quilibet visitor tam pro se, quàm pro aliis, quotiescumque opus fuerit.

#### §. X.

Sed quoniàm contingere potest, ut superior generalis recens electus, è vivis decedat ipso tempore conventûs generalis, vel statim post ipsius dissolutionem, cùm scilicet electores nondùm ab urbe in qua fuit facta electio, discesserint, vel certè postquàm eorum aliqui tantùm ab ea profecti fuerint, in his tribus casibus qui non possunt nisi rarissimè contingere, observanda erunt ea quæ sequuntur, ut quamprimùm fieri poterit, alius superior generalis eligatur ab iisdem,

[p. 89]

qui ultimum generalem jamjà defunctum elegerint. Quoties enim conventus generalis ad electionem superior generalis indicitur et convocatur, electi à conventu provinciali censendi sunt electi ad alterius superioris generalis electionem, si, eo tempore, vel paulò post suâ electionem moriatur recens electus.

#### §. XI.

In primo casu, nimirùm, si superiorem generalem ipso conventûs tempore more contingat, sic procedetur; veterum assistentium primus conventui et successoris electioni tanquàm vicarius præsidebit, et ut celerius expediatur hoc negotium, postridiè sepulturæ generalis demortui, conventus more solito convocabitur, in quo præfatus assistens post recitationem hymni Veni, Creator, habebit brevissimam exhortationem ad congregatos circa novam electionem faciendam; in cujus exhortationis fine assignabit diem sequentem ad hujusmodi electionem; monebitque conventum, eos qui pro eligendo ultimo generali fuerunt

[p. 90]

electi in secretarium, assistentem atque inclusorem Conventûs, easdem partes in proxima electione obituros. Electio fiet juxtà eandem prorsùs formulam quæ fusè exprimitur capite septimo, paragrapho quinto et sequentibus. Biduo autem post electionem novi generalis, interessa rerum Congregationis jàm propositarum tractatio repetetur et continuabitur eo modo ac ordine, quo suprâ explicatur in hoc capito octavo à paragrapho sexto usquè ad decimum exclusivè, omnibus scilicet sedentibus, et sententiam dicentibus, quemadmodùm antequam conventus dissolveretur. Porrò juxtà formulam quæ habetur capite sequenti, procedetur ad electionem novorum assistentium, nec non admonitoris superioris generalis, si nondùm electi fuerint; si autem jam fuerint electi, tunc à conventu confirmabuntur. Si verò eorum aliquis creatus fuerit superior generalis, debet in ipsius locum eligi alius juxta eandem formulam.

[p. 91]

#### §. XII.

Quoad secundum casum, videlicet, si superior generalis moriatur statim post conventûs dissolutionem, quando scilicet electores sunt adhuc in eadem domo in qua fuit facta demortui generalis electio, in eo casu novorum assistentium primus partes geret vicarii generalis, nondùm ab ultimo superiore generali jamjà defuncto nominati; ideòque idem assistens redintegrato conventui, et novæ electioni superioris generalis, loco vicarii præsidebit, atque ea observabit quæ hîc habentur paragrapho præcedenti.



### §. XIII.

In tertio autem casu, nempè si generalis è vivis decebat, postquàm aliqui duntaxàt electorum à loco ubi coactus fuit conventus, profecti fuerint, idem primus novorum assistentium, cùm nondum vicarius sit ab ipso generali nominatus, partes geret vicarii, et statim, mortuo

[p. 92]

superiore generali congregabit omnes electores qui remanserunt, cum quibus videbit an intrà breve tempus revocari possint illi qui jam abierunt. Quòd si id fieri posse judicatum fuerit, quàm citissimè à præfato assistente revocabuntur, et ubi primùm ad locum conventûs redierunt, illicò idem convocabit omnes electores, qui in conventu eodem ordine sedebunt, ac eodem modo sua ferent suffragia, quo priùs ante conventûs dissolutionem nullâ habitâ ratione mutationis aliquorum, vel plurium ex ipsis officialibus. Si verò vix possint revocari electores, idem assistens, tamquam vicarius generalis, novum conventum generalem convocabit, atque ea omnia observabuntur, quæ habentur capite quarto, quinto et sequentibus.

## Caput IX.

### De electione assistentium et admonitoris superioris generalis.

#### §. I.

Quarto die, aut circiter post electionem superioris generalis, electores satis manè post suas tamen missas pro felici electionis successu celebratas, ad pulsum campanæ convocabuntur, et post recitationem hymni Veni, Creator Spiritus, unusquisque seorsùm cum magno animi fervore Deum orabit, et ab ipso, tanquàm à solo veræ sapientiæ fonte, illustrationem humiliter petet, at benè judicandum, et ad eligendos eos qui sint ipsi Deo maximè placituri. Pridiè meminerint singuli electores judicium suum ab ultima circà hujusmodi electionem determinatione cohibere, donec in conventu ad assistentes eligendos coacto,

[p. 94]

in fine orationis statuunt quem sint electuri pro communi bono totius Congregationis. Delationes autem de ambitu, si quæ sint faciendæ, debent fieri ante diem electionis assistentium, et saltem pridiè ejusdem judicari; ut ipso die in conventu de nulla re tractetur, nisi de hujusmodi electione, imò nec quidquam aliud in eo à quocumque proponatur quod electionem impedire aut perturbare ullo modo possit.

#### §. II.

Eligi debent quatuor assistentes, ex numero eorum sive absentium, sive presentium, qui saltem decennium post emissa vota in Congregatione exegerint, qui in quantum fieri poterit, sint ex variis provinciis et praesertim sint boni sacerdotes, obsequii divini zelatores, inordinatis affectibus, quantum humana fragilitas patitur, immunes, erga suam vocationem maxime affecti, boni communis amatores, studio et zelo Instituti conservandi ejusque primitivum spiritum promovendi ardentès, multum discreti in agendis, sed praecipue in Ins-

[p. 95]

tuto rebusque Congregationis bene versati, ad recte ac fructuose conversandum cum externis apti, nec non pacifici atque fideles, denique omnino tales, quales esse oportet, quibus Congregatio debet vices suas, quod spectat ad suam providentiam circa corpus et animam superioris generalis committere, et qui eundem, tanquam ejus consilarii, tam in rebus quae pertinent ad doctrinam quam in agendis sunt sublevaturi. Porro eligentur ab iisdem qui generalem elegerint, inter quos habebunt jus suffragii secretarius superioris generalis demortui seu Congregationis, et procurator etiam Congregationis, non autem superior generalis.

### §. III.

Assistentes sigillatim eligentur scrutiniis secretis ad plura medietate suffragia. Si vero in primo et secundo scrutinio nemo esset electus, tunc in tertio et in quarto, si opus fuerit, suffragia dari debebunt, sed tantum inter duos illos qui in ultimo scrutinio plura suffragia habuerint, ita

[p. 96]

tamen ut, si alii sortiti fuerint tot suffragia quot unus ex illis duobus, habeant simul cum illis jus passivi suffragii in sequenti scrutinio. Quibus etiam duobus scrutiniis frustrata tentatis, recurrendum erit, si omnes electores consenserint, ad quinque aut septem compromissarios qui unum eligant ex iis tantum qui in duobus ultimis scrutiniis suffragia habuerint, relictis scilicet aliis, etiamsi aliqua suffragia in duobus primis scrutiniis sortiti fuerint, et quem major pars compromissariorum elegerit, censendus erit, ac sine controversia declarandus assistens.

### §. IV

Simul atque aliquis electus fuerit assistens, et ut talis declaratus, accedet ad mensam ad quam sedet generalis, atque ibi genuflexus coram imagine crucifixi, supra mensam ad id prius collocata, juramentum praestabit sub his verbis : Testem invoco Jesum Christum qui me judicaturus est, quod si quidquam acciderit sufficiens ad depositionem superioris generalis.

[p. 97]

statim atque res satis attestata fuerit, fideliter Congregationi denuntiabo et eodem tempore conventum generalem convocabo. Similiter eligentur alii assistentes, ac statim post sui electionem, idem eodemque modo jurabunt ; imò etiam idem jusjurandum debet exigi et

præstari ab eo quem, propter aliquam occurrentem necessitatem, superior generalis de consensu assistentium et visitorum ~~qui sunt in Europa~~, saltem ad ipsorum plura medietate suffragia, in assistentem substitueret. In hoc autem casu sufficit ut assistens substitutus juret ut suprâ, coram superiore generali, assistentibus, secretario et procuratore Congregationis.

#### §. V.

Post electionem assistentium procedetur ad electionem admonitoris superioris generalis qui potest esse vel ex numero eorum qui fuerunt electi in assistentes ipsiusmet generalis, vel ex numero eorum præsentium sive absentium qui saltem decennium post emissa vota in Congregatione exegerint. Verùm ex quovis sive assistentium, sive aliorum

[p. 98]

numero eligatur admonitor, permagni interest ut sit cum Jesu Christo in suis actionibus benè unitus, atque Deo in oratione non parùm familiaris, maximè discretus, et prudens, non multùm credulus, non timidus, minimè audax, et, in quantum fieri potest, non ingratus ipsi generali, et præsertim sit præditus iisdem dotibus ac virtutibus de quibus suprâ habetur paragrapho secundo. Eligetur eodem die quo assistentes electi fuerint, si commodè fieri poterit, et quidem ab iisdem electoribus atque eodem prorsùs modo.

### Caput X.

#### De conventu provinciali cogendo ad tractanda negotia.

#### §. I.

Conventus provincialis non solùm ad electionem superioris generalis in locum demortui,

[p. 99]

ut suprâ habetur capite quinto, vel ad depositionem generalis adhuc viventis, ut jam superiùs dictum est capite secundo, paragrapho sexto et septimo, convocandus est, sed etiam ad res alias graves, et quidem quotiescumque conventum generalem indicit superior generalis, sive cogat illum arbitrio suo, ad rem aliquam maximi momenti valdè urgentem, et ad commune Congregationis bonum spectantem; sive convocetur conventus generalis iudicio assistentium ac visitorum ~~qui sunt in Europa~~; sive demùm iudicio ad plura suffragia ipsiùs superioris generalis, assistentium et deputatorum ad eundem superiorem generalem sexto anno post ultimum conventum generalem, à singulis provinciis mittendorum de quibus casibus fusè dicitur in duobus capitibus sequentibus. Hæc autem omnia de solis Europæ provinciis præcisè intelligenda sunt, [Vide Notam, p. 117] cæteræ enim extra Europam neque mittendi aliquos ad conventum generalem jus habebunt, neque sexto anno post ultimum conventum generalem deputatos ad superiorem generalem mittere tenebuntur propter locorum distantiam, præsertim propte [*sic*]

[p. 100]

navigationis difficultates atque pericula; poterunt tamen eodem jure uti in mittendis suis deputatis ad superiorem generalem, si se obtulerit occasio, aut navigationis commoditas, quo utuntur cæteræ provinciæ quæ sunt extra Europam.

#### §. II.

Quandocumque conventus provincialis cogendus est, eum convocare, locumque ac diem ad conveniendum designare, pertinet ad visitatorem seu vice-visitatorem, sicut etiam eidem præsidere cum jure suffragii activi, atque prærogativâ in casu paritatis suffragiorum non secretorum Conventui intererunt cum jure suffragii, præter visitatorem, singuli superiores domorum provinciæ, seu ii qui superioribus aut mortuis, aut longè seu ad longum tempus absentibus, superiorum officia exercent, procurator totius provinciæ, ac prætereà ex singulis domibus unus sacerdos qui post vota emissa sexennium, ut minimùm, in Congregatione exegerit, ad plura suffragia secreta electus à sacerdotibus cujuslibet domûs qui dicta vota emiserint; habebunt

[p. 101]

etiam in conventu provinciali jus suffragii secretarius et procurator Congregationis in ea provincia in qua fuerint tunc temporis, non ità superior generalis, neque ipsius assistentes; ipsi enim non debent conventui provinciali interesse, et multò minùs in eo jus habere suffragii.

#### §. III.

Quilibet autem superior, acceptâ ex sibi subditis sacerdotibus, præsertim ab iis qui verum zelum observationis regularum Congregationis, Institutique servandi ac promovendi habere noscuntur, informatione eorum quæ ad conventum provincialem pro communi bono deferenda sunt, cum socio in domestico conventu electo, opportunè conveniet ad locum Conventûs provincialis. Si verò aliquis superior legitimè impeditur judicaretur quominùs posset ad conventum provincialem se conferre, licebit illi aliquem alium ex suæ domûs sacerdotibus, modò sit idoneus, in suû locum sufficere, et ad conventum mittere. De reliquo, in conventu in quo eligi debent duo mittendi

[p. 102]

ad conventum generalem convocatum ad tractandum de rebus seu negotiis gravissimis ad statum Congregationis spectantibus, debent ea omnia quæ suprâ habentur toto capite quinto, et juxta eamdem formulam ibi præscriptam observari, æquè ac in conventu in quo agendum est de electione mittendorum ad conventum generalem, indictum pro eligendo superior generali in locum demortui.

#### §. IV.

Quòd si in conventu provinciali de electione deputatorum qui sexto anno post ultimum conventum generalem ex singulis Europæ provinciis [Vide Notam Pa. 117] ad superiorem generalem mittendi sunt, agendum erit, conventus à Visitatore ante Pascha

convocabitur; secundâ verò aut tertiâ hebdomadâ post festum Paschatis inchoabitur. In eo servatis servandis, ut in cæteris conventibus provincialibus, tria agitabuntur et decernentur. Primum est utrùm conventum generalem cogi expediat. Porrò præcipuæ rationes propter quas conventus provinciales conventum generalem habendum esse opinari

[p. 103]

debent, hæ sunt : 1° Ut efficaciter componantur aliquæ non parvæ dissensiones, si quæ inter nostros, quod Deus avertat, oriantur in aliqua Congregationis provincia, et non possint per visitatores et commissarios componi. 2°. Ut in diversis agendi rationibus, si quæ sensim sine sensu cum magna Congregationis deformitate et detrimento Instituti serpsent, tota Congregatio uniformis reddatur ; vel etiâ, et præcipuè, ut in regularum et constitutionum observatione fiat accuratior ; si in ea non parùm relaxari videatur ; 3° est, si habenda sit deliberatio de aliquibus rebus maximi momenti, et quidem perpetuis, ad universam Congregationem spectantibus, atque adeò difficilibus, ut iis superiorem generalem cum suis assistentibus providere posse dubitetur ; secundum verò, quod in præfato conventu tractabitur, erit : quænam sint provinciæ negotia quæ, quoniam de iis nihil statuere potest visitator, nec conventus provincialis, superioris generalis conclusionem desiderant. Tertium deniquè quod agetur erit electio unius deputati qui provinciæ sententiam, tùm de cogendo vel non cogendo conventu generali, tùm etiâ de ejusdem provinciæ negotiis

[p. 103 bis]

superiori generali deferat.

#### §. V.

[Vide Bullam Clem. XII. N° 2°, p. 200-201. Vide decreta Con. IX. Sess. X.] Quælibet provincia suum hujusmodi deputatum eliget ad plura medietate suffragia secreta, ex iis qui in conventu provinciali jus habent suffragii passivi, ex quorum numero visitator excluditur; deindè eodem prorsùs modo, et ex eisdem alter eligitur in locum prioris substituendus, si contingat illum aut morbo aut aliquo impedimento ità detineri ut nequeat ad superiorem generalem proficisci. Si autem casus eveniret, ut uterque legitimè impeditus esset, tunc superiorum provinciæ antiquissimus, ratione ingressûs in Congregationem, deputabitur ad superiorem generalem cum integro jure aliorum deputatorum. Quilibet deputatus, antequàm ex provincia proficiscatur, ibit ad visitatorem et ab eo accipiet, non verò aliundè pecuniam et quæ sunt ad iter suscipiendum necessaria; sique jam haberet pecuniam aliquam, vel sibi datam, vel acceptam cum licentia sui immediati superioris, debebit eam visitatori consignare, priùsquàm ab

[p. 104]

eo accipiat pecuniam pro expensis in itinere faciendis.

#### §. VI.

Electi à provinciis, sivè pro eligendo superiore generali, sivè pro negotiis in conventu generali tractandis, sivè in deputatos sexto anno post ultimum conventum generalem mittendos ad superiorem generalem, nec citiùs nec tardiùs à suis provinciis proficiscantur, nec excurrant per domos suæ provinciæ, nisi illæ domus sint in ipso itinere quo eundem est ad locum conventûs; nec negotia externorum, vel in via, vel in urbe in qua habetur conventus, tractanda suscipiant, nec pecunias à parentibus, vel amicis pro expensis in itinere faciendis, vel rebus emendis petant, aut accipiant, nec majori dispendiò iter faciant, sed memores paupertatis ad quam observandam tenentur, parco et moderato sumptu, ut decet pauperes ecclesiasticæ, tam in eundo, quàm in redeundo, iter perficiant. Quòd si sit eundem ad conventum generalem, electi comitabuntur visitatorem, cujus erit prospicere

[p. 105]

expensis. Hujusmodi verò expensas quæ fiunt eundo, sivè ad conventum generalem, sivè ad conventum deputatorum, et indè redeundo solvere totius erit provinciæ, ad quas quælibet domus aliquam pecuniæ summam conferre tenebitur, pro ratione suarum facultatum iudicio visitatoris.

## Caput XI.

### De Conventu Deputatorum ad deliberandum de cogendo vel non cogendo conventu generali.

#### §. I.

Conventus deputatorum sexto anno, mense Julio post finem ultimi conventûs generalis supputando, ad superiorem generalem à singulis Europæ provinciis mittendorum, deliberandi causâ de cogendo vel non cogendo conventu generali, habebitur, nisi aliud tempus superiori generali magis

[p. 106]

idoneum videatur. Quòd si necessitas deputandi ad electionem vicarii generalis faciendam, de qua suprâ habetur, capite scilicet secundo, paragrapho quinto, accideret vel initio anni sexti post ultimum conventum generalem, vel etiam in fine anni quinti, in hoc casu à singulis conventibus provincialibus mitti debet sententia de cogendo, vel non cogendo conventu generali, licèt præfatus annus sextus nondùm sit completus, imò necdum sit incæptus. Ubi primùm deputati advenerint, exhibebunt superiori generali acta conventuùm provincialium, quibus constet ipsi atque assistentibus de legitima eorum deputatione. Quòd si quid dubii [*sic*] ex aliquibus actis provincialibus circa alicujus particularis deputationem oriatur, id referendum erit conventui à quo priusquam ille de quo justè dubitatur, cum cæteris deputatis admittatur, de illius jure judicabitur in prima sessione habenda postridiè diei ad conventum præfixi, si duæ saltem tertiæ partes

deputatorum jam advenerint, nisi fortè superior generalis cum conventu decerneret absentes

[p. 107]

brevi affuturos, etiam per aliquot paucos dies esse expectandos. Similiter, antequàm deputati conventum ingrediantur, consignabunt secretario Congregationis catalogum personarum, capitaque negotiorum ordine præscripta, sibi à visitatore et à conventu provinciali commendata, et de quibus cum superiore generali agere debent, sicuti etiàm litteras ad eundem generalem scriptas, ut, quamprimùm fieri poterit, hæc omnia legantur, et lecta maturè expendantur, ac expensa opportunè expendantur.

## §. II.

Modus sedendi in conventu et in eo suam sententiam dicendi, hic erit: superior generalis sedebit juxta mensam, habens ad dexterum latus secretarium conventûs et ad sinistrum ex deputatis provincialium unum, et quidem omnium ratione ingressûs in Congregationem antiquissimum qui cum eodem generali, atque secretario conventûs suffragia videat et adjuvet ad ea numeranda, dùm ex pyxide extrahentur. Assistentes sede-

[p. 108]

bunt ab ejus parte dextera, juxta ordinem electionis, et post quartum assistentem, secretarius Congregationis et procurator etiam Congregationis; a parte verò sinistra omnes deputati, ordine antiquitatis in Congregatione inter eos servato. Reliqua quæ spectant ad invocationem Spiritûs Sancti pro inchoando conventu exhortationem à superiore generali habendam circa rem de qua agitur, ac modum se in ea rectè gerendi pro communi universæ Congregationis bono, decretum de legitimo conventu et de defectibus, si qui forte in conventibus provincialibus circa aliquorum deputationem acciderint, supplendis, denique secretarii conventûs electionem, ea per proportionem observantur quæ suprâ habentur capite sexto, paragrapho secundo et tertio. Post electionem secretarii, assignabitur dies ab hac sessione tertius inclusivè in quo decernendum erit an sit cogendus vel non cogendus conventus generalis.

## §. III.

Die ad deliberandum assignato, singuli

[p. 109]

deputati conferent inter se, et sibi mutuò suarum provincialium sententiæ, et rationes de conventu generali cogendo, vel non cogendo, quas secum in scriptis à suis provinciis attulerunt, ostendent non solùm cæteris deputatis, sed etiam et maximè superiori generali, ipsius assistentibus, secretario Congregationis et procuratori similiter Congregationis, non verò aliis qui nullum habent jus suffragii in hujusmodi conventu. Res de quibus petenda est informatio, sunt eadem quæ exprimuntur capite præcedenti paragrapho quarto, ubi afferuntur rationes propter quas opinandum est conventum generalem esse convocandum. De rebus autem auditis in informatione accipienda, loqui cum aliis qui in conventu suffragium non habent, nullo modo licet, nec tempore conventûs, nec etiàm finito

conventu; cum censendæ sunt dicta sub secreto ab iis qui eas detulerunt, pro informandis. Deputatis, ut ipsi meliùs possint indè conjicere, et solidiùs judicare, an cogendus sit conventus generalis nec ne.

[p. 110]

#### §. IV.

Cum dies ad deliberandum de cogendo vel non cogendo conventu generali advenerit, omnes qui jus habent suffragii ad pulsum campanæ domesticæ convocabuntur ad locum destinatum; ubi invocato Spiritu Sancto per hymnum Veni, Creator Spiritus alternatim submissâ voce recitatum, cum versu et oratione solitis, omnes congregati vacabunt orationi mentali per spatium mediæ horæ quâ finita surgent omnes; et sedebunt singuli juxtâ ordinem præscriptum paragrapho secundo hujus capituli. Deindè superior generalis quæstionem hanc, utrùm scilicet Congregationis status præsens et ejus negotia conventum generalem requirant, proponet; quæ quæstio à congregatis solvetur, non quidem verbis aut scriptis, sed modo quo dicetur paragrapho sequenti.

#### §. V.

Erit ante superiorem generalem pyxis

[p. 111]

mensæ superposita in quam singuli congregati fabam albam, vel nigram ità conjiciant, ut nec generalis, nec alii congregati videant an alba, an nigra conjiciatur. Incipiet ipse generalis qui cùm in conventu duo habeat suffragia, habet consequenter jus mittendi duæ fabæ in pyxidem, deindè suam conjiciet secretarius conventûs tum deputatorum à provinciis antiquissimus qui generali assidet, et alii juxta ordinem præscriptum capite septimo, paragrapho octavo. Postea secretarius sumet fabas in pyxide in conspectu omnium congregatorum; easque cum generali et præfato inter deputatos antiquissimo numerabit, considerans in primis an fabarum numerus numero congregatorum sit æqualis, supputando duas fabas pro superiore generali. Quòd si numerus æqualis non reperitur, toties fabæ in pyxidem, donec earum numerus congregatorum numero respondeat, mittentur. Quo numero respondente, albas quæ artem affirmativam, à nigris quæ negativam significant, separabit idem secretarius, easque clarâ voce numerabit. Si albarum numerus numerum nigrarum excedat,

[p. 112]

superior generalis, altâ voce, conventum generalem cogendum esse denuntiabit, si autem nigræ plures sint, non esse cogendum declarabit. Quibus peractis, et gratias Deo habitis, finietur hujusmodi conventus cum precibus more Congregationis.

#### §. VI.

Porrò notandum est 1º Quòd præfati deputati non tenentur sequi sententiam et rationes suarum provinciarum pro cogendo vel non cogendo conventu generali; neque etiam



quoad negotia sibi à suis provinciis commissa; imò eis liberum est contrariam sententiam dicere. 2° Quòd si declaratum fuerit conventum generalem esse cogendum, quamprimùm convocabitur à superiore generali, et intrà quinque aut sex menses habebitur. 3° Quòd deputati qui de rebus et negotiis sibi commissis à provinciis, vel à visitatore, vel à particularibus, cum superiore generali ante conventum, vel tempore conventûs agere, ipsumque de statu suarum provinciarum commonefacere nondùm potuerint, id cito facere debent, et quidem

[p. 113]

sincerè atque sine ullo respectu humano, aut affectu inordinato propensionis, vel aversionis; maximè dùm aliqua de personis particularibus, etiam sibi superioribus referent. 4° Postquam superior generalis sua responsa in scriptis suo chyrographo consignatis cuilibet provinciæ dederit, deputatos, uti primùm commodè fieri poterit, dimittet.

#### §. VII.

Quantùm ad deputatos, finito et dimisso conventu, hæc observabunt: 1° Antequàm se viæ commitant redeundi gratiâ ad suas provincias, meminerint legere resolutiones, deliberationes, ordinationes et responsa generalis, modò non sint secreta, alius provinciis data, ut si inter illa reperiantur aliqua quæ possint esse ad usum suarum provinciarum, eorum apgraphum à superiore generali subscriptum ad suos visitatores ferant; quorum erit cum suis consultoribus videre an ea omnia, an verò aliqua tantùm, et quænam ex contentis in apographo faciant ad bonum commune suarum provinciarum; quandò etiàm, et quomodò eorum usus sit introducendus.

[p. 114]

2° Tenentur post dissolutum conventum servare secretum, tàm cum nostris quàm cum externis, non solùm circa e quæ in informationibus accipiendis audierunt, ut jàm dictum est suprâ, sed etiam circa interrogationes sibi à superiore generali de aliquibus provinciarum articularibus personis factas responsa ab ipsomet data, et circa alia similia quæ secretum requirerent. 3° Non debent ullo modo evulgare propositionum resolutiones, negotiorum deliberationes, de personis ordinationes, officialium institutiones et destitutiones, si de aliquorum mutatione à superiore generali deliberatum fuisse sciverint, et similia non parvi momenti quæ juxtà mentem generalis, propter mala gravissima quæ ex eorum evulgatione oriri possent, ad visitatores secretò deferenda sunt, atque ab ipsis suo tempore ac loco efficienda, vel etiam vulganda, imò promulganda, si opus fuerit.

#### §. VIII.

Conventus generalis saltem singulis duodecim annis à superiore generali convocabitur, ideòque duodecimo anno post ultimum conventum generalem, non habebitur conventus deputatorum qui utrùm ille sit cogendus, necne, deliberent; sed hoc omisso, fient, more solito, conventus provinciales in quibus nimirùm, inter cætera, duo cum visitatore deputabuntur ad præfatum conventum generalem eo tempore celebrandum, in quod superior generalis, missis ea de re ad visitatores litteris, illum indixerit. In prædictis

autem conventibus provincialibus ea quæ habentur suprâ, videlicet, toto capite quinto observabuntur.

## Caput XII.

### De conventu generali cogendo ad tractanda negotia

#### §. I.

Conventus generalis qui non fit ad

[p. 116]

electionem superioris generalis, sed ad res gravissimas quæ ad statum totius Congregationis spectant cogitur, debet ab ipso superiore generali indici et convocari, excepto casu qui suprâ habetur capite secundo, paragrapho sexto et septimo ubi agitur de ejus depositione. Conventum generalem convocabit præsertim in quatuor casibus. 1º. Si aliquid acciderit quod ipse generalis judicet esse maximi momenti et non parùm urgere, nec posse benè tractari, nisi in conventu generali. 2º Si assistentes cum visitoribus ~~qui sunt in Europa~~, inter se ad plura suffragia judicarent necessariò habendum esse conventum generalem, tunc debet superior generalis eum convocare. 3º Quotiescumque ipsemet generalis cum assistentibus ac deputatis qui sexto anno post ultimum conventum generalem ad superiorem generalem à singulis Europæ provinciis [Vide notam, p. 117] mittuntur, habendum esse conventum generalem pluribus suffragiis deliberaverint. 4º Saltem singulis duodecim annis post ultimum conventum generalem. In primo ex his quatuor casibus convocatio

[p. 117]

conventus generalis pendet præcipuè ex judicio ipsius superioris generalis, sed non ità in tribus aliis in quibus debet ipse necessariò eum convocare. Ejusdem est tempus conveniens et locum aptum ad conveniendum præscribere.

#### §. II.

Conventui generali intererunt assistentes generalis, secretarius necnon procurator Congregationis, et tres ex singulis Europæ provinciis<sup>2</sup> nimirùm visitor cum duobus aliis ejusdem provinciæ sacerdotibus ad plura suffragia secreta in conventu provinciali electis qui post vota emissa in Congregatione, sexennium ut minimùm exegerint. Conventui præsidebit superior generalis, et in eo habebit duo suffragia atque prærogativam in paritate suffragiorum non secretorum.

[p. 118]

---

<sup>2</sup> Virtute decreti conventûs generalis XIX. petita fuit et obtenta a S. Sede facultas convocandi ad conventum generalem et sexennem provincias extra Europam constitutas, sicut et alias.

Vide ad calcem indultum super hac licentia, pag. 174. [=232]

Antequàm autem inchoetur, et electi à provinciis possint ad eum admitti, debebunt acta conventuum provincialium eidem superiori generali exhiberi, ut ab ipso et assistentibus ad id congregatis examinentur, si forsàn nihil sit dubitandum de alicujus, vel aliquorum particularium legitimâ deputatione. Conventus habebitur juxta formulam præscriptam capite sexto, et præsertim octavo, omissis tamen iis quæ spectant ad generalis electionem, præterquàm quod non est necesse, ut convocati includantur; quamvis curandum sit ut res propositæ quàm expeditissimè et secretò tractentur.

### §. III.

Omnibus igitur, post Missarum Sacrificia, ad pulsum campanæ domesticæ, in loco ad id designato congregatis, recitabitur alternatim submissâ voce hymnus Veni, Creator Spiritus, cum versu et oratione Spiritûs Sancti, deindè surgent omnes ac se debunt singuli videlicèt superior generalis ad mensam ibi præparatam, assistentes

[p. 119]

juxta ordinem electionis, et visitatores ad dexteram generalis, juxta antiquitatem in Congregatione, atque immediate post eos ad eandem dexteram secretarius, necnon procurator Congregationis, reliqui ad sinistram, servato inter eos eodem antiquitatis ordine, et juxta catalogum pridè primæ sessionis confectum, ac in loco conventûs affixum; singulis sedentibus ut suprâ, superior generalis petet ab eis nùm conventus sit legitimus, et an supplendi defectus, si qui fortè acciderint. Deindè habebitur brevis et familiaris exhortatio ab ipso superiore generali, vel ab alio per ipsum deputato circa gravitatem rei tractandæ, et modum se in hujusmodi negotio secundùm Deum gerendi; statimque post exhortationem legetur publicè hoc caput duodecimum. Tum fiet per aliquod tempus, arbitrio superioris generalis, oratio mentalis ad auxilium divinum implorandum, quo quisque possit quæ sint ad commune bonum Congregationis decernenda cognoscere et in Domino dijudicare. Finitâ autem oratione, procedetur per plura suffragia secreta ad electionem secretarii

[p. 120]

secretarii [*sic*] conventûs qui sit ex numero congregatorum, postea eligetur alius ex eodem numero qui eum ad numeranda suffragia decretaque conficienda adjuvet; uterque verò sedebit ad mensam propè generalem, Quibus à conventu peractis, proponetur à superiore generali præcipuum negotium de quo tractandum est, et de quo agetur in proximâ sessione quæ erit secunda.

### §. IV.

In secunda sessione, post invocationem Spiritûs Sancti, ut suprâ, primò eligentur ad plura suffragia secreta duo ex assistentibus superioris generalis, et quatuor deputati ex numero congregatorum qui omnes cum ipso generali seligant proponenda conventui; postea proponetur denuò præcipuum negotium de quo agendum est, et rationibus hinc et indè à superiore generali allatis, quisque suo ordine breviter feret sententiam super re propositâ, cujus summa in aliquâ schedâ descripta pridè sessionis in medio suprâ mensam deponi debuit, ut si qui vellent, possent

[p. 121]

eam legere et examinare antè ingressum in conventum rectiùsque quod ea de re sentirent, referre. Dicitur primi suam sententiam qui sedent ad dexteram generalis, postea alii qui ad sinistram, juxtà uniuscujusque in Congregatione antiquitatem. Res propositæ ad plura medietate suffragia concluduntur. De reliquo, debent, durante conventu, observari ea quæ suprâ habentur capite octavo, à paragrapho sexto usquè ad finem ejusdem capituli.

§. V.

Quandocumque convocatur conventus generalis ad tractandum de rebus aliis quàm de superioris generalis electione, si eo tempore superiorem generalem, vel aliquem ex ejus assistentibus, vel admonitorem è vivis decedere contingat electi à singulis provinciis ad negotia tractanda, jus habebunt, absque novâ convocatione conventuum provincialium, eligendi novum superiorem generalem, vel assistentem, vel admonitorem in locum demortui; et ad hoc censendi sunt

[p. 122]

electi à conventibus provincialibus. Idem jus habebunt, si præfatorum aliquis statim post conventus generalis dissolutionem moriatur. In hujusmodi autem electione observabuntur ea quæ superiùs habentur quoad eligendi formulam.

---

Nos infrâ scripti, sacerdotes Congregationis Missionis in conventu generali habito apud Divum Lazarum legitimè congregati, suprâ scriptas Congregationis nostræ constitutiones, à Reverendo admodùm Domino Renato Almeras, superiore nostro generali, nobis in conventu generali nunc primùm exhibitas, attentè legimus; maturè examinavimus, et nomine totius Congregationis libentissimè acceptavimus die primâ Septembris, anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo. Sic signatum:

Renatus Almeras, Sup<sup>r</sup> Generalis

Thomas Berthe – Edmundus Jolly – Francis. Fournier – Gilb. Cuissot – Iacob. Tholard – Firminus Get – Joan Wateblé – Nic. Talec – Renatus Simon – Iacob. Lucas – Ioan Martinus – Don. Cruoly – Ludov. Serre – Nic. Demonchy – Iacob. Pesnelle – Ant. Durand – Iacob. Eveillard – Ant. Parisy – Tussanus Lebas – Iul. Dolinet – Renatus Thieulin.

[p. 123]

Collatio facta est ad suum originale, in papyro descriptum sanum et integrum, per nos notarios apostolicos et ecclesiasticos Parisiis commorantes; quo collatione factâ, fuit dictum originale restitutum cum præsentibus offerenti Anno Domini Millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, die verò lunæ decimâ quintâ mensis Octobris.

Signati: Levasseur et Moussinot Not<sup>res</sup>.

[p. 232]

## **Decretum Gregorii P.P. XVI**

Beatissime Pater.

Cùm Sanctitati vestræ placuerit approbare decretum quo Sacra Congregatio Emin.<sup>rum</sup> et Rever.<sup>rum</sup> S.R.E. Cardinalium, super Negoti. et Consultationes Episcop.<sup>rum</sup> et Regularium constituta, die 5 Martii præteriti anni 1843 statuit posse proponi in primo generali conventu Congregationis Missionis convocationem visitorum et deputatorum provinciarum extra Europam, quod à constitutionibus ejusdem Congregationis vetitum erat, statim ac in generali conventu Parisiis habito in mense Augusti ejusdem anni in superiorem generalem dictæ Congregationis electus

[p. 233]

fuit Joannes Baptista Etienne, præfatam propositionem exposuit eidem generali conventui; in cujus actibus, sessione septimâ, decreto nono, his verbis expressa et approbata legitur: “Quæsitum est utrùm expediat decernere quòd jam constet cessavisse circumstantias propter quas a constitutionibus vetitum fuerat provincias extrà Europam constituta ad conventum generalem, et ad conventum sexennalem convocare, nempè difficultatem et pericula navigationis; ideòque veniam impetrandam esse a Sanctâ Sede, ut in posterùm convocari possint, velut aliæ Congregationis provinciæ, et iisdem juribus gaudeant in conventibus?

“Respondit conventus, veniam impetrandam esse pro omnibus provinciis indiscriminatim extra Europam constitutis, attamen censet conventus difficultates itineris reverâ cessavisse tantùm pro provinciis Americanâ,

[p. 234]

Constantinopolitanâ et Syriacâ; ideòque relinquit R.A.D.D. superiori generali, vel vicario generali facultatem, ut pro suâ prudentiâ, hanc dispositionem cæteris, si quæ constituentur, provinciis applicet.”

Quapropter idem superior generalis ad vestræ beatitudinis pedes humillimè provolutus, totius prædicti conventûs nomine Sanctitatem Vestram enixis precibus rogat ut auctoritate apostolicâ supradictum decretum, prout jacet, approbare et confirmare dignetur. Quam gratiam Deus &....

Ex audientiâ SS.<sup>mi.</sup> habitâ ab inf.<sup>ro</sup> D.<sup>no</sup> Sec.<sup>ria</sup> Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 29 Martii 1844, Sanctitas Suâ suprascriptum decretum capituli generalis benignè approbavit, et confirmavit; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romæ &....

P. Card. Ostinius Præf.

## Tabula Capitum

Caput I.	De qualitate, potestate ac officio Superioris Generalis.
Caput II.	De cura, auctoritate et potestate Congregationis ergà Superiorem Generalem.
Caput III.	De Superioris Generalis schedis nominationem vicarii generalis et electionem superioris generalis in locum demortui, spectantibus
Caput IV.	De officio vicarii generalis in convocatione conventûs generalis ad electionem superioris generalis in locum demortui et in gubernatione universæ Congregationis.
Caput V.	De conventibus provincialibus mittendi causâ ad conventum generalem pro eligendo superiore generali.
Caput VI.	De agendis in conventu generali ante diem electionis superioris generalis.
Caput VII.	De iis quæ ipso die electionis sunt observanda et facienda.
Caput VIII.	De iis quæ post electionem generalis fieri debent.
Caput IX.	De electione assistentium et admonitoris superioris generalis.
Caput X.	De conventu provinciali cogendo ad tractanda negotia.
Caput XI.	De Conventu Deputatorum ad deliberandum de cogendo vel non cogendo conventu generali.
Caput XII.	De conventu generali cogendo ad tractanda negotia

### NOTE:

Materials in red taken from minutes of General Assembly of 1931.

[John Rybolt, C.M., June 2004; November 2005; March 2007]